ad uso del P. Fran.co dalle Grotte
Min: Oss:

EPITOME

SEU

S. MORALIS THEOLOGIÆ

DEFINITIONUM ALPHABETICA COLLECTIO

QUA

Unica sententia Theorico - Practice exponuntur omnia morum praecepta, et omnium conscientiae casuum resolutionis tutissima regula.

EDITIO SECUNDA

Omnibus, quae ab Auctore vel addita, vel emendata sunt, locupletata.

PARS PRIOR

Romae 1824.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ.

Superiorum Permissu

State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea: et invenietis refrigerium animabus vestris. Jerem. c. 6. v. 16.

DIVAE

ΤΗ, ΘΕΟΤΟΚΩ,

SANCTORUM.

JOACHIM . ET . ANNAE

DE . TRIBU . JUDA

UNIGENITAE . SEMPER . AUGUSTAE .

SEMPERQUE . VIRGINI .

NOMINE . TERRIBILI . AC . SANCTO .

MARIAE

ABSQUE . ORIGINIS . LABE . CONCEPTAE

FILIORUM . ADAE

PARENTI . DULCISSIMAE

JULIANUS . JOSEPH . BALDRATI .

PRESBYTER . TIBERIENSIS .

EX . CORDE . VENERABUNDUS .

SE . SUAQUE . STUDIA

OFFERT . DICAT . CONSECRAT

LEGENTI

S. P. D.

J. Joseph Baldrati Tiberien. Favent. Diaec. Presb.

In animarum spirituali ductu ; Epitome hoc ; multorum annorum curriculo usus sum jamque innumeris exagitatus liscriminibus , sub cinere reconditum , silentio , eternaeque oblivioni feceram sacrum . Cum verò privatum laborem hunc qualemcumque meum aliqui perlegissent amici ; summo studio contenderunt apud se exemplar habere quotidie , esto , nec purgatum , nec mediocriter digestum . Horum vinculo conjunctus , facile votis cessi ; meque inscio , typis tradiderunt , Venetiis. anno 1805., *facto Eruditorum Patrum Judicio .*

Innumera , menda quibus scatebat impressio , impulerunt , ut summo labore , in meliorem formam explanatum , et totidem fere articulis auctum , nunc tradam cudendum Legenti patebit , me cautè a vitiosis abstinuisse extremis , nimia relaxatione videlicet , et majori , qua , par est , severitate ; sed illam pro viribus secutum viam probabiliorem , et tutam . Omnes veneratus pergrandis hujus Provinciae Auctores , paucis mihique acceptissimis Theologis nomen dedi .

Hoc , si Legenti , fuerit gratum , erit mihi ratio gaudii , aliaque , Deo propitio , *non contemnenda promitto . Quod si non assecutus , tunc mihi haec pauca scripsisse sufficiat , et voluisse sat erit . Obsecro tantum fratrum meorum , quibus scriptum hoc dicatur , Evangelicam charitatem , ut pro sui humanitate , Summo rerum omnium Opifici me commen-*

dent, quoniam Dei potius, et proximi, quam meam, spectavi aut utilitatem, aut gloriam.

Et si quidem bene, sicut Morali competit Christiano: hoc et ipse velim: siri autem minus bene, concedendum mihi Machabaeorum 15. v. 39.

JOANNI PRESBYTERO

Fratri amantissimo S. P.

Epitome, quod tamdiu flagitasti me, sensim, pro ut vicissitudines innumerae, et otia dederunt; hoc praesertim turbatissimo, et caliginoso tempore, denuo excusum, auctum, ac explanatum, tibi remitto. Dubia Dogmatico-Historico-Liturgico-Polemico-Critica, alphabetico pariter stylo disposita; dehinc. *Mihi gratulor, et maximopere gaudeo, meum partim impletum esse desiderium, simulque tuum. Materias, ut vides, quam fieri potuit, amplexata est clarissima brevitas. Non mireris, si constitutos Theologo Morali fines transiliam aliquando, concionatorem potius, quam casuistam agens. Id ex industria est factum, enim vero confessariis non tantum, sed et Concionatoribus, Parochis, Missionariis, qui ictu oculi possunt populis pascua praebere, gratum fore judicavi. Benedictus Deus, cujus mihi auxilio contigit suae, non meae, morem gerere voluntati; in aerumnis meis, solamen invenire, otium propulsare; aliquod tibi adlaborare, unde posses in solitudine tua oblectationem aliquam capere. Pro viribus obsecro te; Summo rerum omnium Conditori commenda me, nimium merentem, curis, et labore fractum, ut sospitem, vel ad tempora meliora, vel ex hac lacrymabili valle, ad societatem usque justorum, perducat, ubi aeterna est pax, gaudium aeternum, interminabilis felicitas. Ita, ut valeas, rogo.*

Dabam Romae, Quarto Kalendas Junias ann. 1809.

J. Joseph

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo P. Magist. Sac. Palatii Apostolici.

J. Della Porta Vicesgerens.

ADPROBATIONES

Opus inscriptum - Epitome Theologico-Scholastico-Dogmatico - Morale. In duas partes, stylo Alphabetico per D. J. Josephum Baldrati Presbyterum Tiberiensem adlaboratum, et dispositum, non solum vulgari trutina, sed ad Aurificis stateram expendi, et magna animi volunptate perlegi, et ad Sanctuarii pondus, quam continent Doctrinam, libravi. Obstupui, et miratus sum Auctoris laboriosum Institutum, dignumque laude reputo, quod totum doctrina est, eaque irreprehensibilis. Legentibus maxima Operis hujus patebit utilitas. Ego hoc Opus probavi, dignumque publicae Lucis existimavi, cum nihil in eo deprehenderim, quod aut doctrinae fidei, aut bonis moribus fit dissonum.

Dabam in Conventu SS. XII. Apostolorum Urbis. Anno Reparatae Salutis 1801. - VI. Kal. Majas.

F. Andreas Sgambati ex Ord. Min. Conventualium S. R. Consultor, et in Neapolitana Universitate S. Theolog. Publicus Lector.

Epitome Theologico - Dogmatico - Morale in duos Tomulos distributum, et Alphabetico Stylo compositum a J. Josepho Baldrati Presbytero Tiberiense, debita attentione perlegi, nec dum publici juris factum, nihilque inter legendum nactus sum, aut Orthodoxo Dogmati adversum, aut moralitatis regulis dissonum; immo potius omnia offendi ad normam Fidei Christianae, et probitatis morum exacta. Nihil

ideo hoc Epitome clarius, nihil utilius, maxime in administrando Poenitentiae Sacramento, quo circa in rem Ecclesiae esse censeo, ut in uberiorem Levitici Ordinis instructionem edatur.

Datum in Conventu SS. XII. Apostolorum Urbis 2. Decembris 1803.

F. Bonaventura Carenza Ordinis MM. S. Francisci Convent. Parochus, et Ordinis Magister. Nota Salutatus dehinc Episcopus Civitatis Plebis

Opus, cui Titulus Sacrae Scolastico - Dogmatico Moralis Theologiae alphabetica Collectio Auctore admodum Rdo. D. D. J. Josepho Baldrati Faventinae Diecesis Presbytero summa cum admiratione, ac voluptate perlegi, aliisque de novo adiectis illustrationibus, ad diligentiorem Trutinam revocatum, non solum in lucem denuo edi posse, verum etiam pro animarum salute apud omnes in ministerio Divinae gloriae Cooperatores, ut praesit manibus, dignum procul dubio, magna animi existimatione censeo.

Datum Tipherni pridie Idus Martii Anno 1806.

Gaspar Mariottini Congregationis Oratorii Praepositus.

Epitome, cui titulus Sacrae - Scolastico - Dogmatico - Moralis Theologiae Alphabetica Expositio, et omnium acclamatione nuper exceptum Typis Venetis Anno 1805. Quod ab ipso auctore Aucto, in dies requirentium numero, iterum expositum, et perfectum, publici juris fit, cum attente perlegerim, tanta verum Sacrarum eruditione, et Ecclesiastici juris peritia refertum mihi videtur, ut non solum ab Ethiees Cristianae Tyronibus, sed ab omnibus etiam Theologis, summa cum voluptate, et utilitate excipiatur:

Datum Tipherni pridie Kalendas Settembris 1808.

Joseph Sediari Examinator Synodalis.

Opus cui titulus, Sacrae Theologiae Moralis Definitionum Alphabetica Collectio, a D. J. Josepho Baldrati exaratum de mandato Reverendissimi P. Magistri S. P. A. attente perlegi, et summa animi voluptate consideravi, et non solum nihil in eo inveni, quod aut doctrinae Catholicae, aut bonis moribus opponatur, sed etiam Auctoris eruditionem, pietatem sum demiratus; quapropter ipsum publica luce dignum existimo. Datum Romae ex aedibus S. Mariae Magdalenae hac die 2. Maii 1824.

A. Togni ex CC. RR. Ministris Infirmorum Apostolicus Romani Cleri Examinator, et S. C. Indulgentiis praepositae Consultor.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praedic.
S. Palatii Apostolici Magistri Socius

PROLEGOMENON

In quo clare, breviterque exponuntur: Fontes Moralis Christianae: Modus illis utendi; ceu, usus Sacrae Scripturae: Conciliorum: Patrum: Juris Canonici: Casuistarum, in casibus quibuscumque resolvendis; eiusdemque christianae Moralis objectum; in gratiam Theologi Moralis.

Fontes Moralis Christianae

Mea expositurus studia in Sacram Moralem Theologiam, necessum esse duco, illa, lectoris mei, ante oculos ponere, principia, et fontes, ex quibus haec Provincia constituitur, atque coalescit.

1. MORALIS igitur Theologiae primarius, et praecipuus fons, est *Divina Revelatio*, quae ad hoc homini est elargita, ut per peccatum excaecatus, sua ediscat officia. Haec enim verbum Dei continet, qui nec fallere, nec falli potest, utpote infinite sciens, infinite bonus. Arbiter ergo casuum, ante omnia, illa consulere debet, in quibus Divina revelatio continetur, scilicet, 1. *Sacram Scripturam*, quae continet Verbum Dei, 2. *Traditionem* non humanam, sed Divinam, non per privatos Auctores propositam, sed per non interruptam Pastorum successionem ad nos usque fideliter transmissam, quia Divinam revelationem oretenus traditam exhibet. 3. *Oecumenica Concilia*, vel *Particularia* ab Ecclesia recepta. 4. *Unanimem Sanctorum Patrum consensum*.

2. Secundus fons Moralis Christianae est, *Summi Pontificis judicium*, ut ajunt Patres Florentini. Ubi ergo agitur de Morali, consulendae sunt Decretales Summorum Pontif., quas invenire est collectas in Compilatoribus Decretalium, et in Bullario digestas, ratione materiarum in Corpore Juris Canonici. Insuper legendae, et consulendae Censurae Pontificiae etc.

3. Tertius fons Moralis Christianae est *Judicium Conciliorum*, particularium, vel Nationalium, vel Provincialium, vel Dioecesanorum, esto non sint universo Ecclesiae consensu recepta. Haec siquidem fuit semper Ecclesiae inviolalibus praxis.

4. Quartus fons Moralis Christianae est *Episcoporum judicium*, praecipue, dum plures in idem consentiunt. Episcopi enim sunt jure Divino Rectores Ecclesiae, Patres, et Doctores populorum, juxta dictum Pauli *Act.* 20. *v.* 28.

5. Quintus fons Moralis Christianae est *Patrum auctoritas*, quae major, aut minor est, prout plures, vel pauciores in idem conveniunt, absque eo, quod contradicantur.

6. Sextus Christiane Moralis fons, est *Theologorum Scolasticorum auctoritas*, non eorum, qui ex sola ratione, sed qui ex revelatione doctrinas suas adstruunt. Ut tales consulendi sunt, primi, *D. Thomas*, *D. Bonaventura*. *D. Antoninus*, *et Raymundus*: ut tales, esto in inferiori gradu, etiam *Cajetanus*, *Sylvester*, aliique Classici Doctores, quin et consulendi clariores Canonistae, ut *Panormitanus*, *Cassabutius*, Devoti aliique non pauci, ut notat celeberrimus Melchior *Canus*.

7. Septimus Christianae, Moralis fons, est *Ratio naturalis* quae utiliter consuli potest, ubi agitur de moribus: rationis enim est, perpendere quidquid morum praeceptis, sive naturalibus, sivo revelatis magis cohaereat.

Cum autem hi fontes non aequalis sint auctoritatis, ideo, quomodo sint adbibendi, regulae indicabunt sequeuntes.

Regula 1. Ubi quaestio moralis solvi potest per revelationem expressam, illi est standum, quidquid in contrarium humana suggerat ratio. Revelatio enim certissima est morum regula, cum infallibili Verbo Dei nitatur, ratio autem humana, errori obnoxia sit, ut affirmat *Paulus Rom.* 3. *v.* 4. Sic inimicorum dilectio, carnis mortificatio etc., esto lapsae naturae apparteant dura, humili tamen mentis obsequio sunt excipienda, quia expresse id tradit Revelatio.

Regula 2. Ubi quaestio proposita ex revelatis principiis per necessariam demonstrationem definiri potest, standum est hujusmodi demonstrationi, quidquid in contrarium suggerat fallibilis hominis ratio, affectibus obcaecata. Nam propositio, quae ex revelata necessario sequitur, irrefragabilis est auctoritatis, ut cum *Cano*, omnes simul affirmant. *Sit exemplum Christus dixit*, *gratis accepistis*, *gratis date*, cum ex his ver-

his aperte sequatur, non posse res spirituales sub commercium cadere, illicita censeri debent pacta omnia, quibus temporale exigitur pro collatione rei spiritualis, quidquid in contrarium senserit humana cupiditas, ut divinae legis vim eluderet.

Regula 3. Ubi quaestio moralis, neque per expressum Dei Verbum, neque per necessariam ex revelatione illationem definiti potest: audiendi sunt hi, penes quos est in Ecclesia docendi simul, et imperandi potestas, si quid de ea quaestione definierint, hi enim propius ad revelationem accedunt juxta illud *Malachiae* 2. *v*. 7. et *Luc*. 1. *v*. 16. *Qui vos audit, me audit etc.* Patet ergo, quod universae Dioecesis Episcopali judicio, multoque magis Dioecesanae Synodo; integra Provincia Provinciali Consilio, totum Regnum Nationali, subesse debet, et universi fideles solemni Summi Pontificis determinationi; hi enim omnes potestatem a Deo acceperunt, docendi simul, et imperandi.

Regula 4. Ubi Quaestio moralis, neque per revelationem expressam, neque per necessariam ex revelatione demonstrationem, neque per ulla Superiorum decreta, definiri potest; eos oportet consulere, qui sunt in Ecclesia, tum antiquitate, tum doctrina, tum pietate praestantiores; habent enim ab antiquitate, quod testes sint, et custodes divinae Traditionis; a doctrina, quod sint divinae Revelationis interpretes: a pietate, quod ab humanis affectibus in constituendis morum regulis liberi fuerint. Ex quo patet, quod, cum major, et sanior antiquiorum Patrum, et Theologorum pars in aliquod dogma consentit, ei adhaerendum sit absolute.

Regula 5. Ubi circa quaestionem moralem Patres Patribus adversantur, Theologi insignes, alii alia tradunt; celebriores Canonistae, et Juristae diversa opinantur, tunc rationis est, quaestionem definire, sed caute incedendum. Nam 1. Requiritur, ut res ex pravis nostris affectibus non judicemus, nihil enim veritati est adeo contrarium, quam mentis praeoccupatio. Sic ebrietatem excusant vinolenti, libinem impudicici etc. 2. Requiritur, ut partium studiis non abripiamur, quibus fit,

ut quisque pro susceptis, sive jure, sive injuria semel partibus veritatem stare pertinaciter tueatur, eaque omnia respuat, ut falsa, quae contra sentiunt aliarum partium defensores. 3. Requiritur, ut media, quantum fieri potest inter laxiores, et rigidiores opiniones, via incedamus; sicuti enim non sine scelere aggravari potest jugum Christi, quod ipse Dominus dulce esse pronunciat; ita sine crimine dilatari non potest Paradisi via, quam Evangelium angustam esse pronunciat. Nec minus hi damnandi sunt, qui contra Christi praeceptum onera imponunt importabilia, quam qui pristinum disciplinae frenum solvunt, utrosque enim maledictis insectatur *Isaias*. *c.* 5. *v.* 20. 4. Requiritur, ut in illa opinionum ambiguitate, quid propius ad revelationem accedat, diligenter inquiramus, eique parti religiose adhaereamus, quae magis legi favere videbitur, atque in dubiis, ubi aequalia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius, sive quod est in eo casu unice tutum.

Ex his facile intelligi potest 1. Veram Christianae Moralis ideam hac definitione contineri: *Moralis Christiana est doctrina, quae vel per revelationem proponitur, vel ex revelatione, quantum fieri potest, educitur: qua docemur quid agendum, quid non agendum sit, ut salutem consequamur aeternam* Morum enim praecepta, quae tradit, non ex ratione per peccatum corrupta, sed ex revelatione, quantum fieri potest, eruit.

2. Objectum Moralis Christianae in hoc sistit, quod Christiana Moralis tota eo tendit, ut ad eam felicitatem, quae nobis in Coelis promittitur, quaequae est una hominis beatitudo, nos deducat; unde circa ea media tota versatur, quibus ea felicitas, vel comparari potest, vel amitti. Sed nunc.

De usu Sacrae Scripturae in risolvendis casibus

Theologus Moralis resolvendis casibus incumbens, Sacraque volens uti Scriptura, scrupulose attendat, ne illis occupetur quaestionibus, quibus solus incumbere debet Criticus. Ipsi sat erit vulgatae versionis intelligentiam pro viribus assequi. Ista enim versio ex *Con. Trid. sess.* 4. est authentica.

Cum autem Sacrae Scripturae duplex sit sensus; *Litteralis* sive *Verbalis*, et *Allegoricus*, sive *Realis*, cumque solus litteralis sensus Theologicus sit regula fidei, nullumque proponatur mysterium, nisi sit supernaturaliter revelatum, vel in Scriptura, vel in Traditione; cautus admodum sit Theologus Moralis, et pro viribus suas conetur firmare decisiones sensu literali, potius quam allegorico, ipsius literalis sensus indagando intelligentiam, qui per verba exprimitur, vel in sensu prop io, vel figurato.

Hinc Theologus Moralis, dum in Casuum resolutione sacram exhibet Scripturam, illos solum debet sibi adjudicare textus, quibus Deus manifestare voluit, vel ea, quae prohibet, vel ea, quae imperat. Uno verbo, Scriptura sacra, ideo est propria resolvendorum casuum regula tutissima, quatenus nobis manifestat, quod Deus jubet, vel prohibet.

De Usu Conciliorum

USUM Conciliorum adoptans in casibus resolvendis, eorumdem Summam, aut comparet sibi Theologus, aut in publicis quaerat Bibliothecis, et in illis simplicem Canonum Textum perlegat attente, ejusque sensum conetur pro viribus intelligere, quibuscumque aliis relictis. Sed sciendum.

Concilia circa tria versantur. Circa ea, quae pertinent ad fidem: Circa ea, quae mores respiciunt: Circa ea quae spectant ad disciplinam. Agunt etiam aliquando de his, quae jus civile respiciunt; Jus enim Civile, et Canonicum interdum sese mutuo favent.

CANONES Fidei circa illa versantur, quae sunt credenda vel non

CANONES morum instrunt, quid circa mores agendum, vel non.

CANONES disciplinae determinant, quale debeat esse Ecclesiasticum Regimen. Illud enim, quod in Civili Republica *Politia* vocatur, in Christiana Republica dicitur *Disciplina Ecclesiastica*. Regulae vero *Canonico-civiles*, illae sunt, quae ab Ecclesia sunt institutae ad Jus Civile firmandum. Sed ad

verum, et legitimum sensum Conciliorum assequendum, eorumque intelligentiam, utilissimum erit prae ceteris attente legere, et meditari, quae praeclarissimus *P. Annatus* scripsit de Conciliis in suo Theologico Apparatu, ubi solide nitideque explicantur, quaecumque ad Conciliorum intelligentiam conducere possunt.

Theologus ergo, qui canones Fidei: Morum Disciplinae: voluerit distinguere, sibique viam sternere ad Casuum resolutionem, haec attendat. Per Symbolum Apostolorum, clare cognoscet omnes Fidei Canones. Per Decalogum explicatum ope Evangelii Canones *morum* perspiciet; et per praecepta mere Ecclesiastica Canones *Disciplinae* absque haesitatione comperiet.

De usu Sanctorum Patrum

In conscientiae casibus resolvendis, plurimi est facienda a Theologo SS. Patrum auctoritas, et consensus. Haec siquidem Divinam Revelationem oretenus tantum, et non scripto traditam, a majoribus acceptam, et fideliter custoditam nobis exhibet. Sunt enim hi *Doctores, quos Deus dedit in consummationem Sanctorum, in opus Ministerii ... ut non simus fluctuantes omni vento doctrinae*. Eph. 4.

Sicuti ergo Sanctorum Patrum auctoritas, unus est, ut dixi ex praecipuis Christianae Moralis fontibus, ita Theologus hos consulat saepissime. Et dum sunt unanimes, sicut auctoritatem faciunt irrefragabilem, sive in fide, sive in moribus, sic, dum plures in idem consentiunt dogma, auctoritatem habent non spernendam, sed venerandam. Hinc in Ecclesia insigniorum Patrum doctrina, magnum sibi pondus est semper adjudicata.

Theologus ergo illos praecipue consulat Patres, qui ex professo materiam aliquam tractavere, *e. g.* S. Cyprianus egit *de Poenitentia*. S. August. contra *Mendacium* etc. Sicque inoffenso pede poterit exacte muneri suo satisfacere.

De usu Juris Canonici

Sciendum: Jus Canonicum coalescere ex variis Scripturae textibus, ex variis SS. Patrum auctoritatibus, ex variis Conciliorum Canonibus, nec non Summorum Pontificum Decretis, totumque suum robur, suamque vim mutuari ex locis, quibus componitur: Juris ergo Canonici usum adoptare volens in casuum resolutione, attente observet Theologus, quid extrahat ex Jure Canon. an Textum Scripturae, vel Patrum auctoritatem, an denique, vel Conciliorum Canones, aut Pontificum Decreta. Si Scripturam ex Jure Canon. sibi comparat, eas omnino regulas servet, quae circa Sacrae Scripturae usum, posui. Si Canones, leges illas observet, quas circa concilia observandas proponunt Auctores. Si vero, vel Patrum sententiam, vel Pontificum Decretum aliquod, supranotatas regulas proponat sibi.

De usu Casuistarum

Quid de Casuistis sentire debeat Moralis Theologus, paucis expedio. Circa istorum usum duas reperio oppositas omnino sententias. Sunt qui sentiunt, et volunt nullos omnino a Theologo legendos, minusque sequendos Casuistas. E contra sentiunt alii, omnes indiscriminatim Casuistas, et legendos, et amplectendos. Ut meum dicam sensum utrumque judicium, meo marte, respuendum puto. Enim vero, extra dubium est, quod nullis credere Casuistis, periculosum est, et singulis credere periculosius.

Inter has ambages itaque, prudens, strenuusque cassuum Arbiter DD. *Thomam Aquinatem*, *Bonaventuram*, *Raymundum*, *Antoninum*, intrepido, ac inoffenso percurrat pede; ut verbis utar Sancti Hieronym. de *Sancto Ilario* loquentis. Venae etenim istae sunt limpidissimae, perennes, pellucidae, inconcussae. Alios vero Casuistas ordinis inferioris, scrupulose legat, diu pervolvat, serio meditetur; poterit enim ex istis quoque mentem suam illustrare, aliqualeque lumen arripere, quod sternat viam ad id, cujus perquirit cognitionem.

Demum non omittat, immo pro viribus studeat, legere,

et si possibile est, apud se retinere, quae in Actis Mediolanensis Ecclesiae p. 4. habentur, ubi S. Carolus Borromaeus Ecclesiae lumen et speculum, Confessarios instruit, quomodo Poenitentiae Sacramentnm rite debeant administrare, ejusdemque Sancti *Monita ad Confessarios* :

Adest, et gravissima admonitio S. Francisci Xaverj Indorum, et Japonum Apostoli, Confessariis apprime utilis, et proficua. Ex Tursellino *lib.* 6. *Vitae ejus c.* 11.

A

ABBAS. Idem sonat ac *Pater*. Hic alius est *Saecularis*, alius *Regularis*. Primus ille est, qui habet beneficia Ecclesiastica cum titulo Abbatiae, et horum quidam habent non solum jurisdictionem in subditos, sed Pontificalia Insignia gestant, ut Episcopi: alii Abbatialem habent dignitatem, sed non Episcopalem Jurisdictionem, nec Insignia Episcopalia. Alii in Choro, et Comitiis digniorem obtinent locum: alii habent solum Abbatias in Commendam, et non in titulum, qui nec habitu, nec insigniis gaudent Episcopalibus.

2. Sunt, et Abbates Regulares, qui sunt vere Praelati. Ex his quidam sunt, qui nedum habent sub se subditos Regulares, sed Territorium proprium, in quo Episcopalem, et etiam temporalem exercent jurisdictionem. Alii sunt, qui habent solum Regulares subditos, quibus praesunt. et alii, ex privilegio utuntur Pontificalibus insigniis. Quidam tandem sunt solo nomine Abbates, seu Titulares.

3. Abbates, alii sunt benedicti; alii non. Primi debent recipere benedictionem ab Episcopo, non ab aliis Abbatibus, et si transferantur, non ultra benedictione indigent.

4. Abbates Ecclesiae Saecularis, et alii, esto exempti, in aliena Dioecesi existentes, non possunt, non sibi subditis, Tonsuram, et Ordines Minores conferre; possunt tamen de licentia Sedis Apostolicae, sed nec possunt ex Trid. *sess*. 23. *de Reform. cap*. 10. suis subditis Saecularibus litteras dimissorias ad Ordines suscipiendos, concedere.

5. Abbates, aliique Praelati, jus habentes, quasi Episcopale, si non habent jus Synodum congregandi, et eligendi Examinatores, non possunt indicere concursum pro Parochialibus vacantibus; possunt vero jus habentes. Conc. *Trid. ibid*.

6. Abbas exemptus non potest ordinariè ab Episcopo excommunicari. Abbati non habenti nec jurisdictionem quasi Episcopalem, nec territorium separatum, non conceditur Indultum novas consecrandi Ecclesias etc.

ABBATISSA. Monialis nulla potest eligi in Abbatissam, sive Priorissam, non habens annos aetatis 40. Professionis saltem octo. *Conc. Trid. sess.* 25. *c.* 7.

2. Si in Monasterio non sit quadragenaria, sat erit, ut 30. excedat, et a professione quinque. In lege Conciliari; solus Pontifex dispensare potest.

3. Non potest eligi in Abbatissam: Illegitima: Publice poenitentiata: non Vidua, non surda, non caeca etc. Nec tertia soror viventibus aliis, caret enim voce activa, et passiva, potest tamen jure communi succedere immediate sorori, in munere Abbatissatus.

4. Electio Abbatissae fieri debet per vota secreta, et ubi consuetudo viget, votant et conversae: et major pars requiritur votorum ad electionis validitatem.

5. Abbatissa per triennium vacat a regimine, nec potest eligi Vicaria novae Abbatissae.

6. Esto Abbatissa sit incapax commutandi vota, potest tamen irritare, sicut parentes in filios; Non potest dispensare in observantia Regulae, sed solum ex commissione, et declarative. Non potest benedicere publice Monialibus, sed solum eo modo, quo filiis parentes; nec praedicare, nisi hortative.

ABIGEATUS, seu ABIGEUS, ABIGIATOR, proprie ille est, qui pecora, ex pascuis subtrahit, et depredatur, aequos de gregibus, boves de armentis abducens etc.

2. Hujus poena hodie est arbitraria, et qui majora cupit, adeat Ravnald. et alios, haec tractantes ex professo.

ABJURANS. Sacerdos Saecularis abjurans de levi, potest omnes Ordines exercere, Sacramenta ministrare, fidelium Confessiones audire.

2. Regularis abjurans, et ipse de levi, redditur ad omnes suae Religionis gradus, et officia, habilis *ex Decr. Urbani VIII.*

3. Abjurans de gravi, haeresim, de qua fuerat accusatus, vel suspectus, si relabatur, quadam juris fictione, ut relapsus tractatur.

ABJURARE. Tenentur omnes haeretici, alias Ecclesiae Dei reconciliari nequeunt cap. *Si quis*. In Ecclesiae primordiis haeretici post abjurationem sacro chrismate inungebantur in fronte, oculis, naribus, ore, et auribus. Aliis haereticis Sacramentum, quod negabant; ministrabatur.

2. Quatuor requiruntur, ut haereticus ad fidem reversus poenam mortis devitet. 1. Ut exemplo abjuret errorem suum. 2. Ut sponte id faciat. 3. Ut abjuret publicè, ad arbitrium Episcopi. 4. Ut de peccato condigne satis faciat per poenitentiam, et aliam poenam pecuniariam sibi indicendam, et haec de abjuratione in sensu Canonico.

ABORTUS. *Est foetus immaturi expulsio ex utero, sive animatus sit, sive non*. Per se est semper peccatum mortale, directe impedire, ne foetus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, vel animatum ejicere. Hoc patet ex Conciliis Eliberitano, Ancirano, Moguntin. et ex *cap.* 5. *de homicidio*. Secus asserentes damnantur ab Innoc. XI. proposit. 34. 35. Repugnat enim bono humanae speciei, et conservationi humanae stirpis.

2. Hinc, qui animati foetus abortum procurant, consulunt, media praestant, verum committant homicidium, fiunt irregulares, et excommunicati ex Constit. Sixti V. et Gregorii XIV. Erit ergo ingens scelus.

3. Variant Doctores circa poenam illi debitam, qui poculum praebuit pro abortu, non secuto. Sunt, qui dicunt eamdem infligendam, quae illi, qui tentavit occidere infantem, et sic abortum facere, ac si occidisset. Alii mitiorem esse infligendam dicunt. V. *Caranza de Partu* c. 16. §. 2. Sed semper standum Bullae Gregorii XIV.

4. A quo tempore pro vitali habendus sit foetus, omissis Philosophorum, et Jureconsultorum placitis, standum, dico, decisioni Ecclesiae, communique praxi. Si mulier, quae foetum in utero habeat, morbo aliquo laboret, cui, nonnisi cum internecione embrionis, medicina praeberi posset, et Medicus abortionis poculum dederit, quo foetus abortus sit, hoc impune licere, et extra poenam pronunciat Medicum

Martinus Socinus *in cap. si aliqui n.* 8., licet postea cum Felino, rem in medio relinquat.

5. Distinguunt ideo Auctores inter foetum animatum, et non animatum. Illo casu extra culpam esse negant, hoc, secus, et si probabile est, utrique imminere mortem, tenent, sine culpa; remedium, Matri praeberi posse. V. *Mater pregnans*.

ABBREVIATOR. Abbreviatores illi sunt, qui brevi compendio concipiunt impetrata a Summo Pontifice in precibus, et postea latius extendunt in litteris. Isti, nihil, ultra taxam recipere possunt ex *Constit. 3. Martini V.*

2. De Abbreviatorum institutione, numero, officio, fuse inter multos recenset *Riganti. In Comment. ad Reg. 1. Cancellariae.*

ABROGATIO V. LEX *n.* 18.

ABSENS, quoad electionem, vocari debet, vel per Nuncium, vel per Epistolam: Quoad chorum, ut possit distributiones lucrari, justam debet praebere causam, et ordinarii licentiam, non Capituli. Absens, quoad *judicia*, non potest judicari, nec condemnari, nisi sit contumax.

ABSENS quoad absolutionem. V. *Mantissam*. 1. *Not.* 2.

ABSOLUTIO SACRAMENTALIS. Ad conferendam valide absolutionem, duplex requiritur potestas; *Ordinis*, et *Jurisdictionis*. Ordinis, qua consecrari potest Corpus Christi, nec amitti potest; bene tamen potestas Jurisdictionis.

2. Initio Ecclesiae, quilibet Sacerdos habens potestatem Ordinis, habebat et potestatem jurisdictionis circa fideles illius Ecclesiae, cui per Ordinationem alligabatur, nullae enim erant ordinationes vagae, sed quilibet Clericus alicujus Ecclesiae ministerio addicebatur.

3. Haeresi Montanistarum exorta, non singulis Sacerdotibus fas fuit confessiones audire, sed constituti sunt Poenitentiarii, ut docet Socrates *l.* 51. *c.* 19. Nectarii temporibus abrogatus est ille Poenitentiarius in Ecclesia Constantinop., eo quod mulier in Confessione publica (injuncta) ultra mandatum progressa, complicem sui criminis Diaconum prodidisset, licitumque fuit cuilibet, ut pro sua conscientia ad

Communionem Eucaristicam accederet : non tamen sublatus est confessionis usus, sed solum usus C onfessionis publicae, et licitum fuit accedere ad quemlibet S acerdotem, sublata Poenitentiaria ; et cuilibet Sacerdoti fas fuit absolutionem impendere. Sed postea admissis vagis ordinationibus, divisisque in varios titulos beneficiis, hi soli Sacerdotes caeperunt in Ecclesia jurisdictionem habere, qui vel habuerunt beneficia, quibus annexa erat animarum cura, vel qui fuerunt delegati, et approbati ab Episcopo, et talis est praesens praxis Ecclesiae a Conc. Trid. explicata. *Sess.* 14. *c.* 6.

4. Nunc vero: Absolutio Sacramentalis *est actus judicialis, quo Sacerdos Jurisdictionis potestatem habens, vel ordinariam, vel delegatam, poenitentem absolvit a peccatis, de quibus est rite confessus* Conc. Trid. de Sacram. Poen. *sess.* 14. *c.* 6.

5. Forma absolutionis stat in illis verbis, quae a Sacerdote proferuntur, *Ego te absolvo a peccatis tuis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Sic. Conc. Trid. sess. 14. de Poen. c. 3. *V. Mantissa* 2. *num.* 27.

6. Huius formae, verba sunt prorsus necessaria. *Te absolvo a peccatis tuis*, tum ad distinctionem Censurarum, tum quia Christus dixit, *quorum remiseritis peccata etc.* Est communis sententia. Alia possunt sine Sacramenti jactura praetermitti, per illa enim verba vere remittuntur peccata. *D. Thom.* 3. *p. q.* 84.

7. Absolutio, alia est *directa*, et illa est, quae peccata confessa delet, sine onere de novo praesentandi. Alia *indirecta*, delens quidem peccata confessa, sed cum onere de novo praesentandi. Juxta D. Thom. Sacerdos simplex nequit absolvere 1. Tempore Interdicti, excommunicatione reservata 2. Cum invenit irregularitatem contractam 3. Incendiarios 4. Cum est consuetudo in alio Episcopatu, et enormia peccata ad terrorem, reservantur Episcopo. *Conc. Trid. sess.* 14. *c.* 7.

8. Absolutio vel differenda, vel neganda est (juxta regulam Evangelicae charitatis) 1. Jis. qui praecipua fidei mysteria ignorant, et quorum cognitio est ad salutem necessaria

2. Jis, qui illa ignorant, quae ad Officium suum, vel professionem pertinent, nisi parati sint, vel officio cedere, vel scientiam aquirere requisitam, et interim a muneris sui exercitio abstinere 3. Jis, qui moraliter peccandi habent consuetudinem, donec emendationis idonea signa exhibeant 4. Poenitentibus, in eadem lethalia peccata facile relabentibus, donec, fuerint discrete probati 5. Illis, qui in proxima peccandi occasione, quae deseri potest, versantur, donec ipsam deseruerint. Absolvendi vero sunt Moribundi, qui peccata sua confiteri nequeunt, sed prius se confiteri velle significaverunt, aut aliquo indicaverunt signo, sicut probus, casu repentino, oppressus, debet absolvi, qui nec voluntatem confitendi peccata, nec suum, de iis commissis dolorem ullo signo testari possit etc.

9. Peccaret itaque Sacerdos, et gravius, Parochus, qui Poenitenti alioquin disposito absolutionem denegaret privatis affectibus, vel avaritiae, aut factionum, vel litis cum Parochianis etc.; quia sine causa poenitentes privarentur gratia, quam a Sacramento recipere possent. Suspensione dignus esset Sacerdos ille, qui, ut haberetur rigidior, et sanioris doctrinae tenacior, absolutionem illis denegaret, quibus secundum Ecclesiae Canones, non esset deneganda. Mirum, quantum valeat studium novitatis, laudisque stultus amor, quo gloriantur, qui severiores, et puriores Ministri haberi volunt; nulla est Ecclesiae Indulgentia, quam non incusent, nulla benignitas, de qua non obmurmurent. Pharisaei caeci, digni solum, ut mola asinaria ad collum alligentur, et in maris profundo demergantur. Sed

10. In absolutione a Censuris in foro exteriori, haec sunt servanda 1. Quod absolvendus juret, pariturum se Ecclesiae mandatis, et poenitentiam facturum injunctam 2. Quod dicantur preces in Rituali Romano praescriptae, cum levi flagellatione humeri ipsius Poenitentis, esto dato casu omitti possint tales caeremoniae, et sufficiant verba *Ego tè absolvo* etc. Sed *V. Mantissam I. in fine*. In articulo mortis quilibet Sacerdos absolvere potest; multi dicunt de Jure Divino.

ABSTINENTIA V. JEJUNIUM *n.* 5.

ACCESSIO. ACCESSUS. ACCESSORIUM *Est titulus, quo res ideo nostra fit, quatenus rei, quam possidebamus, accedit.* Accessorium enim naturam sequitur principalis. Accessorii idem est judicium, ac principalis. Non alterat principalem dispositionem, sed illi famulatur omnino. Videtur enim concessum, cui est concessum principale. Accessorium non tenet, si non tenet principale, et corruit principali deficiente.

ACCIDENTIA EUCHARISTICA V. EUCHARISTIA n. 29. et seq.

ACCIDIA stricte, et in meo sensu sumpta. *Est animi languor, tristitia, et taedium de Divina amicitia apprehensa, ut mala, propter adjunctam difficultatem illius obtinendae, et conservandae, per laboriosa virtutum exercitia, et voluptatum illicitarum fugam.* Sic sumpta, est speciale vitium, et per se mortale, quia charitati Dei specialiter repugnat *S. Thom.*

2. Ex inferis prodierunt istius filiae, et sunt 1. *Malitia*, qua quis bona odit spiritualia, velletque illa non esse, aut quia ipsum poenitet bona fecisse: aut qua Dei beneficia contemnit 2. *Pusillanimitas*, 3. *Desperatio* 4. *Rancor*, et *indignatio* in eum, qui ad bonum allicit, et curat 5. *Torpor*, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit 6. *Evagatio mentis* in oratione, aliisque bonis operibus.

ACOLYTHUS. Idem est, ac Caerephorarius, cujus officium est lumina accendere, et deferre, urceolos vini, et aquae, ad Missae sacrificium, praeparare. Acolythus non potest dispensare Euch aristiam, nec assumi ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, posita etiam Diaconorum, et Subdiaconorum penuria, et si secus fecerit, puniendus, poena miti tamen, si cantaverit sine stola, vel Manipulo. *Sac. Rit. Congr.* 9. *Jav.* 1601. Ex decreto tamen ejusdem Congr. 1698. data necessitate in Missa solemni, poterit substitui constitutus in Minoribus, ad cantandum Epistolam, paratus sine Manipulo.

2. Acolythus, seu alius Clericus, qui solemniter cantat Epistolam cum Tunicella, et reliquis sacris vestibus, seu abs-

que Manipulo , debet petere dispensationm irregularitatis ad cauthelam ; et sic de Clerico, qui sine stola Evangelium cantaverit *S. Congr. Conc.* 23. *Apr.* 1602.

3. Acolythatus inter minores Ordines locum habet, quos, non probatur, ab Apostolis fuisse institutos, et verbo Conc. Trid. sic sunt accipienda, dicendo, posse Minores Clericos sua origine dici Apostolicae institutionis, quatenus comprehendebantur diaconatu, cum olim Diaconorum essent partes illae, quae crescente fidelium numero, fuerunt postea distributae minoribus Clericis, in Diaconorum levamen institutis.

ACQUISITIO DOMINII V. MODI ACQUIRENDI.

ACTIO *Est jus persequendi in Judicio, quod suum est, et sibi debetur.* Multiplex est. Alia est in rem, qua Actor rem ab alio possessam suam esse intendit. Alia in personam, cum quis urget, ut detur, quod ex contractu, vel quasi contractu debitum esse contendit. Alia in rem, ut, cum quis petit, ut is, qui bona familiae, aut societatis possidet, illa dividat, ut quisque, sua, quae sunt accipiat. Alia Juris civilis, quae nititur contractu etc. et varia est. Alia juris naturalis, quae nudo pacto nititur, qua petitur, ut nuda pacta serventur. Haec Jure Pontificio introducta est.

2. Patet ideo. Quod pacta inducunt obligationem, obbligatio contractum; contractus actiones, quomodo autem, et contractus, et pacta, tam jure naturali, quam civili debeant iniri, videre est suis locis.

ACTIONES Christi Theandrice, V. ADORATIO *n.* 7.

ACTOR Is est, qui petit, et ad judicium provocat. Actor debet probare quod petit, alioquin reus absolvitur, et si causam non probat, succumbit, ubi plene probat, non tenetur jurare. Is tenetur sequi forum rei, et reo absente non potest mitti in possessionem, nisi causa custodiae, et reus sit contumax.

ACTUS FIDEI V. FIDES *n.* 5.

ACTUS HUMANI; *Illi sunt, qui ab homine humano modo eliciuntur, idest cogitato, et consulto, cum cognitione finis.* Duplicis sunt generis. *Interiores*, sive eliciti, qui a volun-

tatem prodeunt, in eaque consummantur, ut, Amor, odium etc. Alii *Exteriores*, seu *imperati*, qui a volentate dimanant quidem, sed actibus prodeunt externis. ut Scriptio, ambulatio etc.

2. Sunt, et actus humani, ideo tales, quia prodeunt ab homine quomodocumque eliciti, etiamsi sint naturales, ut nutritio etc. qui actus sunt hominis, non humani.

3. Ast soli actus, qui fiunt cum cognitione, et libertate sunt objectum Moralis Christianae, seu capaces sunt bonitatis, et malitiae, digni proemio, vel poena. Ad meritum enim vel demeritum requiritur advertentia rationis, esto sufficiat ea advertentia, et libertas, quam homo potuerit, et debuerit habere, seu ea libertas, qua, quid voluntarium est in causa, ratione actus praecedentis, ait enim. *D.Thom.* 2. 2. *q.* 77. *a.* 7. Ebrium non excusari ab homicidio, quod per ebrietatem voluntariam committit.

4. Bonitas, et malitia actuum humanorum petitur ex conformitate, aut difformitate cum regulis morum. Ut ergo actus humanus sit bonus, requiritur, ut conveniat cum lege, seu cum regulis morum, ratione objecti, finis, circumstantiarum etc. ut autem sit malus, sufficit, quod repugnet legi, seu regulis morum, vel ratione objecti, vel ratione finis, vel ratione circumstantiarum, et non ratione omnium simul.

5. Bonitas, et malitia actuum humanorum, ita ex objecto, fine, et circumstantiis petitur, ut essentialis, tum bonitas tum malitia, ex objecto, et fine, accidentaria, ex circumstantiis desumatur, nisi circumstantiae sint ex earum numero, quae speciem mutant, ait enim. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 18. *a* 2. *Prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto legibus convenienti . . . . Primum malum in actionibus moralibus est, quod est ex objecto legibus disconvenienti, sicut accipere aliena*.

6. Actus, sive boni, sive mali ab invicem distinguuntur, vel specifice, vel numerice, et si inter se conferantur, sunt aliis vel meliores, vel pejores. Unde cautum est, virtutum et vitiorum specificam distinctionem, ex objecto, et fine, et non-

nunquam ex circumstantiis peti. Toties autem circumstantia speciem immutat, quoties per eam fit, ut actus alicui virtuti sit conformis, vel difformis, cui alioqui, nec conformis esset, nec contrarius. Tunc enim duplex virtus laeditur. Sic cum quis jejunat ex voto, ut carnem coerceat, jejunium nedum habet speciem poenitentiae, sed et Religionis, *quia*, ut ait D. Thom. *fidelitas in servando voto, specialem includit cum lege convenientiam, quae jejunio, nec ratione sui, nec ratione finis intenti, conveniat, sed solum ob circumstantiam voti.*

7. Actuum humanorum, sive bonorum, sive malorum distinctio numerica, desumitur ex morali temporis interruptione, quae reperitur inter actus voluntatis ad idem objectum tendentis. Toties autem actus censetur moraliter interruptus, quoties prior voluntas, vel per contrariam revocatur, vel cessat a priore actu libero, de re alia cogitando; vel involuntariae, vi alicujus causae physicae, puta per somnium etc.

8. Quid sit haec moralis interruptio, a physica discreta: Dico. In hoc moralem interruptionem a physica secerni, quod toties interveniat interruptio physica, quoties inter actus physicos intercedit diversum tempus: quodque ut accidat interruptio moralis, non sufficiat diversum tempus, sed et praeterea requiratur nova voluntatis circa idem objectum determinatio *e. gr.* Cogitans de furto, consilium capit furandi, media assumit, perfodit domum, pecuniam arripit, fugit etc. Diversi sunt actus isti, diversis respondentes temporibus, sed tamen unum numero committit peccatum, quia omnes actus isti ab eadem voluntatis determinatione prodeunt. Qui vero intra semi-horam furtum decies proponit sibi, et decies poenitet, decem committit peccata, quia nedum est diversum tempus, sed diversa voluntas.

ACTUS IMPERFECTI LUXURIEA. In unum id breviter colligo, quod lubricam hanc respicit materiam. Actus imperfecti luxuriae, ut puta, delectatio morosa. aspectus, verba, colloquia, oscula, amplexus, tactus lascivi, extra conjugium, si hec fiant cum plena deliberatione, sunt peccatum lethale ejusdem speciei, in qua est actus exterior completus, ut ha-

betur. *Matth.* 5. *v.* 28. *Qui videt mulierem ad concupiscendum eam, jam maechatus est eam in corde suo.*

2. Aspectus libidinosi sunt peccata mortalia, si sint plene deliberati, provocant enim ad illicitam libidinem. Dixi esse peccata mortalia, nam juxta D. Antoninum 2. *P. tit.* 5. *c.* 1. § 7. aspectus faciei, et partium honestarum pulchrae feminae, contingere potest absque peccato, scilicet ex rationabili praemeditatione, et causa; ut eam noscat, ut cum ipsa loquens attentiorem reddat, aut, ut melius ejus possit arguere vanitatem, fucos etc.

3. Verba impudica cum affectu libidinoso proferre, vel audire, cantica lasciva edere, canere, audire, legere, est grave peccatum, maxime, si ad peccatum ipsum adsit sollicitatio *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala, ait Ap.* 1. *Cor. c.* 15. *v.* 34.

4. Tactus impudici, oscula libidinosa, inter non conjugatos sunt peccata lethalia, licet non fiant ex delectatione, quae contingit in seminis effusione; ordinantur enim ad delectationem illam veneream. Tales actus sunt ejusdem naturae cum perfectis, et consummatis, ideoque exprimendae in confessione circumstantiae, vel aggravantes, vel speciem mutantes, ceu, an tales tactus facti fuerint cum persona ejusdem sexus, vel diversi, cum virgine, vel corrupta etc.

Not. Oscula, tactus, amplexus, compressiones manuum, et similia, que ex levitate fiunt, vel petulantia, dicerem eamdem posse habere naturam, et malitiam, propter periculum proximum incidendi in peccatum consummatum.

5. Oscula libidinosa adjudicavi gravia peccata. Sciendum tamen quodest osculum *adulatorium*, quod ad illud peccatum reducitur, quod sibi proponit ille, qui operatur: Est osculum *simulatorium*, quod, cum sit amicitiae signum, nullam involvit culpam: Est osculum *Sanctum*, ut ait Apostolus *Rom.* 16. *v.* 16. Est osculum *impudicum*, de quo est sermo, et hoc gravem includit malitiam, eo quod afferat secum delectationem mere sensualem, et habeat insuper adjunctam commotionem, si non in utroque se deosculantium, saltem in altero, adeo

ut vix sine consensu in ulteriorem libidinem exeroeatur. Generatim tamen in dictis, haec sit praxis.

6. Actus aliqui, ut sunt, oscula, amplexus, tactus, gestus, aspectus, turpiloquium, similiaque externa, cum aliquando fiant ex causa turpi, aliquando non. Ideo; Si fiant ex causa turpi sunt peccata gravia, alias sunt levia quoties periculum non adsit, vel scandalum, V. *etiam* MOLLITIES etc.

ACTUS MORALIS. *Est actus humanus conformis, vel difformis regulis morum, vel ab eis permissus.* Unde Morale praeter liberum, dicit ordinem, vel relationem ad regulam morum.

2. Species moralitatis, tres enumerantur. *Indifferentia*, quam lex permittit: *bonitas*, quam imperat, *malitia*, quam prohibet. V. ACTUS HUMANI.

ACCUSARE. V. DENUNCIARE ACCUSSATIO.

ACCUSATIO. *Est criminis alicujus, et ejus, qui illud admisit, apud judicem facta delatio, observata accusandi formula.*

2. DENUNCIATIO. *Est criminis latentis facta Judici annunciatio, non observata formula accusandi.*

3. INQUISITIO *est actio, qua Judex, nemine accusante, disquirit, an aliquis deliquerit, vel quis tale patravit crimen.*

4. Illi omnes possunt accusare, qui expresse per jura non prohibentur, sive viri, sive faeminae, sive rei, sive innocentes, in atrocibus criminibus e. gr. haereseos, simoniae etc. Accusatus lite pendente, potest suum accusatorem accusare de majori crimine. Can. *cum non est*.

5. Illi omnes jure prohibentur accusare, qui presumuntur non agere motivo jus itiae. Juxta Jus Civile et Canonicum; non possunt accusare infames, facinorosi, ut perjurii, malefici, fures, adulteri, homicidae, sacrilegi, conspiratores in Regem, Patrem etc. Sic ex Jure Canonico nec accusare possunt suspecti in fide, ut haeretici, excommunicati, personae viles etc.

6. Illi omnes debent accusare, qui sufficientes habent probationes ad reum convincendum. Si vero crimen non ver-

gat in damnum publicum, correctione fraterna utendum est. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 33. *a.* 7. *in Corp.*

ACCUSATUS. Quicumque accusatur, potest juxta Juris formam se defendere, modo malas non adhibeat artes licet enim vim vi repellere cum moderamine inculpatae tutelae.

2. Cum Judex non procedit juxta ordinem Juris, et reus rationabiliter dubitat, judicem procedere juxta regulas juris: interrogatus, non tenetur respondere judici, nec ei veritatem aperire; tunc enim Judex censetur illegitimus, non habens interrogandi potestatem.

3. Cum Judex legitime procedit, et juridice reum interrogat: tunc accusatus sub poena gravi tenetur aperire veritatem, esto adsit mortis periculum sub tali confessione.

ADITIO HAEREDITATIS. Qui adit haereditatem, eo ipso omnibus se obligat, quibus aliquid ex illa haereditate debetur. Est quasi contractus, quo haeres sumit in se omnes obligationes haereditatis.

2. Qui adit haereditatem sine praevia Inventarii cautione, in solidum obligatur omnibus Creditoribus, et Legatariis, quantumvis illi damnosa sit futura haereditas.

3. Qui vult damnosam non sibi fore haereditatem, potest uti indulto Justiniani Imperatoris, quod beneficium Inventarii nuncupatur §. 6. *Instit. de haer. qualit. et diff.*, *leg.* 22. *Cod. de jur. deliberandi*, ubi permisit, ut intra tricesimum, ab adita haereditate, diem, confici queat inventarium, quo confecto, non ultra vires haereditatis, de Creditoribus, et Legatariis obligatur.

ADJURATIO. Est actus, quo persona ad aliquid faciendum inducitur, vel non faciendum, invocatione alicujus Sancti, vel rei sacrae, ut, *Adjuro te Deum vivum per Jesum Christum filium tuum, ut des mihi salutem animae, et corporis*. Ex D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1. Hic est actus Religionis.

2. Adjuratio dupliciter emittitur. Per *deprecationem* et per *Imperium*, et, ut sit licita, tria optantur. *Veritas*, *Judicium*, et *Justitia*.

3. Veritas in hoc sistit: ut adjuratio fiat per verum Deum,

et per res vere sacras, unde si fieret per Deos falsos etc. peccatum esset mortale, ut res non poscatur ficte, sine animo obtinendi etc.

4. Judicium consistit in hoc. Quod adjuratio fiat prudenter, et cum occasione non levi. Quod Deus, et Sancti non adjurentur imperative, sed deprecative, nec Daemon deprecative, sed imperative, quod esset mortale, quia in Deum et Sanctos Imperium, esset injuria, et contemptus; et deprecatio erga Daemonem, amicitiam indicaret, et submissionem.

5. Justitia in hoc est, quod res, quae poscitur, sit honesta, nam si mala, adjuratio esset lethaliter peccaminosa, saltem juxta plures.

Not. Locus esset hic de obsessis a Daemone verba facere, sed paucis me expedio. Obsessus a Daemone ille est, ait Clericatus, qui loquitur ignoto, diversoque idiomate; qui canit legit, scribit, aliaque permulta facit, quae nullo modo callebat, qui sic immobilis stat, ut robusti movere nequeant, qui occulta patefacit, distantia, etc. Cum vero haec sit pergrandis Provincia, Opusculo huic nentiquam accomoda, adeat Lector. Delrium *Disquis. Magic. l. 2. c. 2. q. 3. sect. 2.* aliosque.

ADVERTO solum, serio, cum istiusmodi imperativa adjuratione utendum esse, et scrupulose cavendum a longis, curiosisve confabulationibus, et inutilibus interrogationibus cum Daemone in adjurando, periculosum enim esset, nec levis culpa juxta *D. D.*

ADMINISTRATIO. Administrator. Ordinarii locorum possunt exigere juramentum de fidelitate administrationis locorum, et Legatorum Piorum: exigere rationem, et computa, tam in visitatione, quam extra, etiam per suum Delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis. *Conc. Trid. sess. 22. c. 8. et 9.* Esto etiam a Testatore, et lege fundationis excludatur a revisione; tunc enim possunt Ordinarii supplere negligentiam Executorum, et illos, si opus est, removere; etiam si defunctus disposuisset, nullum esse Legatum,

ubi se miscuerit Episcopus, et rationem exegerit ab Executore, quem vult, a nemine cogi posse ad reddendam rationem. Sic deducitur ex cap. *Tua nobis de Testament.*

ADOPTIO. *Est voluntaria, et gratuita assumptio personae extraneae ad haereditatem, ac si esset naturalis filius* Discrimen inter adoptionem, et arrogationem, est, quod qui est Juris alieni, dicitur, adoptari, qui vero sui juris, arrogari.

ADORATIO. Late sumpta *Est actus, quo alterius excellentia testificatur*, et dividitur in *Patriam*; quae Deo exhibetur, ob increatam, et infinitam ejus excellentiam supernaturalem: In *Hiperduliam*, quae Sanctae Virgini, ob singularem ejus supra omnes Sanctos, et Angelos, excellentiam supernaturalem creatam, exhibetur: In *Politicam*, quae fertur Principibus viris etc. In *Absolutam*, qua Persona adoratur ob intrinsecam sui Excellentiam. In *Relativam*, sive *honorariam*, vel *respectivam*, quae rebus insensibilibus, ad Deum, vel Sanctos specialiter pertinentibus, defertur.

2. Adoratio stricte sumpta, *Est cultus Latriae soli Deo* debitus, consistens in actu, quo testificamur Increatam, ac infinitam Dei excellentiam, et nostram summam submissionem erga illum, agnoscentes ejus in omnibus supremum dominium. Hoc cultu solus Deus est ab homine adorandus.

3. Pater Filius, et Spiritus Sanctus debent adorari supremo cultu Latriae, quia quaelibet ex illis personis est verus Deus. 2. *Verbum Divinum* subsistens in natura Divino-humana, supremo Latriae cultu adorandum est, quia est verus Deus, et verus homo; verus Deus ratione naturae acceptae a Deo: verus homo ratione naturae humanae, acceptae a Virgine Maria. *Paul. ad Philip.* 2. *v.* 10.

4. Christus etsi verus homo, constans ex anima, et corpore, sicuti nostrum; tamen vere, et proprie cultu Latriae adorandus est, etenim in humanitate Christi *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis*, non figurative, sed corporaliter;

idest vere, et realiter. *Coloss.* 2. *v.* 9. Humanitas enim Christi, non potest sejungi a Divinitate.

5. Christus, sive in Cruce pendens, sive in Eucharistia, sive sedens ad dexteram Patris, semper cultu Latriae est adorandus, quia Christus, ubicumque sit, est verus Deus.

6. Actiones Christi Theandrice, idest humano - Divinae salutis nostrae operatrices, etsi transierint, tamen in memoriam revocatae, supremo latriae cultu, una cum Christo sunt adorandae, quia unum cum Christo efficiunt. Sic Abb. Clun. Ep. contra Petrobusianos. *Etenim*, ait, *cum dico*, *Mortem Domini*, *Resurrectionem Domini*, *Ascensionem Domini*, *adoro non aliud*, *quam mortuum Dominum*, *Resurgentem Dominum*, *Ascendentem Dominum adorare me profiteor*. *Simili intellectu*, *cum ante Crucem humiliatus prosternor*, *eum qui in ipsa olim pro requie nostra tortus est pro vita nostra mortuus est*, *ut Deum*, *et Dominum*, *cui hoc solum debetur*, *adoro*.

7. Ex dictis patet, objectum quodlibet Religionis nostrae non esse aequalis dignitatis, nec aequali cultu, parique necessitate esse venerandum. Nam 1. Deus Unus in essentia, et Trinus in Personis, debet necessario ab omnibus cultu latriae adorari, ut prima omnium causa, et ultimus omnium finis. 2. Christus Deus, et Homo debet necessario quoque adorari cultu latriae, tamquam Mediator, et Salvator, sine quo nemo salvari potest. 3. Virgo Maria, Angeli, Archangeli, Animae Beatae possunt cultu a latria longe diverso, et inferiori honorari, tamquam amici Dei.

8. Cultus Dei, et Christi est necessarius, et indispensabilis, Cultus Sanctorum, utilis, bonus, et non spernendus, ut docet Trid. sess. 25. c. 2. Uno verbo, solus Deus cultu *Latriae* est adorandus. Sancti, cultu *Duliae*. Virgo Maria *Hyperduliae*: Christi, Virginis, Sanctorumque Imagines, et Reliquias, colendas esse cultu relativo personae, cujus sunt. Adoratio enim Imaginis consistit in aliquo externo signo submissionis, et reverentiae exhibito Imagini propter

excellentiam Prototypi . *Conc. Trid. sess.* 2. *c.* 3. *v. etiam Imagines . Symbola etc.*

ADULTERIUM . *Est copula carnalis inter eos , quorum ambo , vel unus eorum est matrimonio ligatus* . Est mortale peccatum .

2. Triplex est . Vel conjugati cum soluta , vel soluti cum conjugata , vel Conjugatus cum conjugata . Si foemina est conjugata , gravius est peccatum , quam si esset vir tantum , propter incommoda gravia , nempe incertitudinem prolis cum damno Mariti , haeredis suppositionem alienae prolis , et saepe impedimentum generationis : unde haec circumstantia ab Adultero est exprimenda in confessione , quia ipse cooperatur feminae , ad illam majorem gravitatem , et ad pericula , ac damna inde sequi nota .

3. Si uterque sit conjugatus , adhuc gravius est , quia duplex adulterium , duaeque mortales injuriae in utriusque conjugem , in confessione necessario aperiendae . Sic *S. Thom.*

4. *Monitum* . Si attendatur incertitudo prolis , gravius est adulterium in muliere , quam in viro . Sed absolute loquendo , est gravius in viro , quam in muliere : vir enim caput est mulieris , debetque uxori exemplo praelucere . *S. Aug. l. de Adult. conjug. c.* 3.

5. Adulterii poene : De Jure civili antiquo , poena adulteri erat *mortis* . De jure Divino puniebatur *lapidatione* . De jure Canonico dabatur Clerico poenitentia decem annorum , et Laico septem annorum . Clericus deponebatur , Laicus excommunicabatur , ed adulter , vel adultera detrudebatur in monasterium , ad perpetuo poenitentiam agendam . Adhuc jure Canon. prohibetur adulter , debitum petere , et pars innocens potest vindicare divortium , quoad thorum , et habitationem , auctoritate tamen Judicis . *C. si quis* 32. *q.* 1. Et propter adulterium , adhuc uxor dote privatur , et Maritus donatione , sive dotalitio , propter nuptias . *C. plerumque , de donat.* Non licet tamen propria auctoritate occasioni locum dare . C. *Inter haec G. cav.* 3. *q.* 1.

6. Hodie per totam Italiam , ac pene per universam Eu-

ropam leviores poenae sunt introductae, nempe pecuniariae etc.

7. Praeter arbitrariam poenam, sustinent etiam adulteri rei familiaris jacturam, ut videre est Menocch. *Cent.* 5. *c.* 49. etc.

Notaudum Divortium fieri nequibit in eo casu, si uterque adulterium commiserit: Si Maritus uxorem prostituat: Si mulier alteri nupsit, virum suum putans mortuum: Si mulier ex errore cum alio concubuit, in ejus lectum latenter ingresso, adulterium enim sine dolo non committitur. Si mulier commisit, vi oppressa, et involuntarie. Si post adulterium sunt partes reconciliatae, petendo, et reddendo debitum conjugale.

8. Adulter accusatus de adulterio, lite pendente, non est privandus possessione, et Adultera mortuo Marito, potest cum adultero contrahere, sed solum post poenitentiam, et dummodo non fuerit causa mortis sui viri.

9. Genitores tenentur alimenta praestare proli adulterinae non habenti, unde sustineatur. Adulter sciens prolem esse suam, impotente adultera, tenetur alere filiam, eam dotare, et damna compensare, quae legitimi filii pati possunt in haereditatis divisione. Sic *SS. Antoninus*, *Thoma*, *Bonaventura*, *aliique*.

10. Adultera non tenetur cum periculo vitae, et magnae infamiae, manifestare prolem spuriam; tenetur tamen, quantum fieri potest, curare, ne quid damni Maritus, et heredes legitimi ratione spuriae prolis, patiantur.

ADVOCATUS. Munus hoc exercere nequeunt Pagani Haeretici, et Excommunicati, Minores an. 17. Muti, Caeci, omnino, Surdi, Furiosi, perpetuo Amentes, Servi, Faeminae, Sodomitae, Damnati poena capitali, vel calumnia publici judicii, et omnes Infames. Item Clerici in Sacris constituti, aut Beneficium habentes Eclesiasticum, nequeunt in foro saeculari Advocatum agere, nisi in Causa propria, vel propriae Ecclesiae, vel in causa etiam consanguineorum intra quartum gradum, vel in causa pauperum. Item Monachi, et Religiosi, nisi pro utilitate sui Monasterii, et de mandato

sui Praelati. In foro autem Ecclesiastico possunt Advocatum agere Clerici in Sacris, et Beneficiati etiam pro Laicis.

2. Quatuor requiruntur in Advocato, et Procuratore 1. Legum notitia 2. Fidelitas erga Clientem 3. Causae susceptae aequitas 4. Moderata merces. Ergo.

3. Advocatus, et Procurator, debent habere scientiam convenientem, inquit D. Thom. 1. 2. *q.* 76. *a* 1. Debent inviolabilem fidelitatem clientibus suis, et graviter peccarent, duobus inter litigantibus consilium praebentes. Non possunt, nisi eas causas defendendas suscipere, quas, justas, et aequas cognoscunt, et arbitrantur, alias debent incunctanter rejicere; immo debent ab eis desistere, et Clienti suadere, ut desistat, et se componat *S. Thom. ibid.*

4. Potest Advocatus, et Procurator justum pretium accipere et exigere, alias peccaret contra justitiam, et ad restitutionem teneretur, excedens pretium contra praescriptum publicum. De istorum peccatis caute interroget Confessarius. de forma Juramenti, quod ab istis quolibet emittitur anno, et ex tenore juramenti, discet, quaenam sunt statuta, et proinde varia peccata, quae a forensibus viris committuntur.

ADVOCATUS CONCISTORIALIS. Isti sunt veri Pontificis Familiares, causasque concistoriales pertractare eorum est. In causis Beatificationis, et Canonizationis Servorum Dei et Beatorum scribere in jure, et perorare: in Solemniis Canonizationum instantias proponere: Pallium petere pro Archiepiscopis, et aliis. Ad ipsos spectat regimen Archigymnasii Urbis. Eorum Collegio addicta sunt munera Promotoris fidei, Advocati Pauperum, Fisci, Camerae Apostolicae, Fabricae S. Petri, S. P. Q. R., Comissarii Conclavis. Insuper habent privativam facultatem doctorandi in utroque Jure. Horum numerus est duodenarius. Eorum privilegia; antiquitas, praecedentia, habitus etc. V. Bened. XIV. T. II. Constit. 106. Incip. *Inter Conspicuos*.

AFFABILITAS; Est virtus, quae totam conversationem nostram cum proximo consistentem, in colloquiis, convictu, et actionibus, quibus cum illa tractamus, ita moderatur, ut

ei grata sit, servata tamen decenti ratione, efficitque, ne nimis blande, nimis aspere in congressibus nos geramus. *S. Thom*.

2. Ei opponitur per excessum *blanditio*, *adulatio etc.* et per defectum morositas, qua proximo molestia, et taedium in congressibus affertur.

AFFINITAS est propinquitas ex carnali copula, proveniens inter virum, et consanguineos mulieris, in eo gradu, in quo consanguinei sunt, cum gradus affinitatis ex consanguinitate mensurentur, unde deducitur, non oriri inter utriusque consanguineos, sicut nec inter virum, et affines mulieris, sicut e contra; cum affinitas non pariat affinitatem.

2. Ad contrahendam affinitatem, requiritur, ut copula tam licita, quam illicita, sit vere sequuta. Et hac regula multae solvuntur difficultates, et dubia.

3. Affinitas, alia est *antecedens* cum scilicet copula fuit cum Conjugis consanguinea ante Matrimonium: alia *subsequens*, idest jam sequuto matrimonio. Difficultas in utroque casu est, an, quando, et in quo gradu dirimat, vel debiti petitionem, ac redditionem impediat, vel non. Duce *S. Conc. Trident. sess.* 24. *c.* 4. respondeo. Affinitas antecedens, ex copula licita dirimit Matrimonium usque ad 4. gradum: ex illicita ad 2. usque: Subsequens impedit ex parte delinquentis solam debiti petitionem, quoties Matrimonium est consummatum, alias impedit quoque redditionem.

4. Ergo, qui uxorem cognovit, cum ejus consanguinea misceri nequit usque ad 4. gradum inclusive, ob impedimentum dirimens affinitatis. Qui non uxorem cognovit, non potest cum ejus consanguinea contrahere usque ad 2. gradum.

5. Ergo, qui cum consaguinea uxoris, in primo, vel secundo gradu concubuit, non potest petere, sed bene reddere debitum: e contra vero, si hoc contingit, non adhuc uxore cognita; nec reddere potest prima vice, nec petere, donec obtinuerit dispensationem.

AGNUS DEI. Sic dicti, et nominati a figura Agni, quae super tali cera a Papa benedicta, imprimitur; solent a sum-

mo Pontifice pontificaliter induto, variis sacris caeremoniis solemniter benedici, primo et septimo Pontificatus sui anno infra Octavam Paschae, Adest Gregorii XIII. Constitutio, in qua, sub poena excommunicationis, omnes cujuscumque gradus, et conditionis districte prohibet, tales *Agnus Dei* depingere, aut quidquam aliud superaddere, vel venales reddere etc.

2. Agnorum Dei virtutem non parvam esse pro beneficio, et utilttate fidelium, testatur *Durandus in Ration. D. Off. L. 6. c. 79.* ubi dicit, vim habere, contra fulgura, fulmina, grandines, incendia, tempestates, ventus, vel imbres. *Delrius* addit hàbere virtutem magnam contra daemones, a cujus potestate vi talium agnorum Dei, fuerunt liberati multi.

AGGRESSOR V. PUDICITIA, HOMICIDIUM *Not* 2.

ALCHIMIA Ad condendum aurum, vel argentutum turpis lucri gratia, est expresse prohibita *c. Spondent. Extrao Joan. XXII. l.* 5. *de crimine falsi* Ratio est, quia haec metallà non habent veri auri, vel Argenti naturales proprietates, omnesque virtutes; unde esset patens injustitia, et damnum tertii.

2. Haec conficiens, mortaliter peccaret, *S. Thom.* 2, 2. *q.* 77. *a* 2. *ad* 1. Haec fieri curans, evadit infamis, et erogans ad restitutionem tenetur, et poena Judicis nunc mulctatur. Si Clericus, amittit beneficia, et ad alia redditur inhabilis *ex Constitut. Joan. XXI.*

3. Quamvis Ars chimica physice defendi possit: maxime in divitibus, qui consilio sapientium agant, sublato superstitionis periculo, pactis cum Daemone etc. Moraliter tamen improbatur, quatenus ars plena periculis. *Sic Barbosa, et alii.*

4. Saniores omnes hanc transmutationem irrident, alii totis pugnant lacertis pro hujus transmutationis veritate; sed tandem Alchimia est ars, cujus principium est mentiri, medium laborare, finis mendicare. Qui plura desiderat adeat *Adhulphum, Becherum aliosque.*

ALIENATIO. Hujus nomine intelligitur, *venditio*, *permutatio Hypotheca*, *Donatio*, *Conductio Emphiteusis*, et quaecumque conventio, per quam dominium transfertur; sed ad rem meam.

2. Alienatio bonorum Ecclesiae, sine justa causa, et solemnitate prohibetur a Jure Divino, Civili, Canonico Hinc alienari non possunt immobilia, et pretiosa Deo dicata, ut, praedia, domus, agri etc. Census, annui redditus, jura, actiones ad immobilia; sicut nec certa summa pecuniae ad emptionem immobilium, vel mobilium pretiosorum deputata, maxime si cum Superioris licentia, et clericorum consensu fuerit congregata.

3. Nomine mobilium, quae alienari haud possunt, veniunt, quae sunt de Thesauro Ecclesiae scil. vasa, vestes, gemmae, ornamenta, bibliotheca, et similia, valorem 25. aureorum excedentia. Tales sunt Reliquiae, arbores frugiferae etc. incurriturque Censura ex Conc. Trid. *sess.* 21. *c.* 11

4. Causae justae alienationis sunt 1. Evidens Ecclesiae necessitas 2. Manifesta Ecclesiae utilitas, 3. Pietas V. G. pro redimendis captivis, pauperibus alendis etc. 4. Incommoditas, ut si res multum distraret, si fructus percipi nequirent etc.

5. Solemnitates requisitae ad alienationem, in easu sunt 1. Quod praecedat tractatus Capitularis 2. quod adsit consensus totius Capituli, vel saltem majoris partis 3. Quod fiat subscriptio a Capitularibus 4. Quod interveniat consensus Summi Pontificis.

6. Poenae male alienantium sunt 1. Nullitas, et Rescissio, 2. Excommunicatio major. 3. Interdictum etc.

ALIMENTUM. Alimentorum nomine veniunt ea omnia, quae ad honestam substentationem sunt necessaria, ut cibus, potus, vestitus, habitatio, expensae pro Medicis ad artes addiscendas, et ea omnia, quae statui, et conditioni personarum possunt convenire, et haec servato ordine, et gradu conjunctionis: v. FILIUS *etc.*

ALTARE. In Ecclesia consecrata non potest erigi absque licentia Episcopi, et eorum, qui super eo possunt habere interesse: quod dicendum etiam de Ecclesia benedicta, propter eamdem rationem: nam ita est sub Episcopi Jurisdictione Ecclesia solum benedicta, non solemniter consecrata.

Altare Majus regulariter habet eumdem titulum cum Ecclesia . *Rota ap.* Farinac. n. p. dec. 313.

2. De inscriptione *Arae* Athenientium *Ignoto Deo* , dicatae aliquid addendum . Emissis multorum opinionibus , ait Xistus Bibliotecarius *l.* 1. *ver. Arae*. Quod quondam , cum saevissima pestis Athenis grassaretur , cumque omnium Deorum suorum auxilium incassum implorassent , coacto Conventu , conjecerunt , alium fortasse esse incognitum Numen , ab ipsis sine honore relictum : unde novam extruxerunt *Aram* , eamque *Ignoto Deo* inscripserunt , quo facto cessavit illico pestis . S. vero Antoninus , quod magis verosimile est , tradit hanc *Aram* erectam fuisse , cum S. Dionisius Areopagita Heliopoli , transmeavit Athenas , narravitque mirabilem Solis Ecclipsim , quae acciderat . Fer. 6. in Plenilunio Mensis Martii , cum Christus Dominus in Cruce confixus , et exaltatus fuit , occasione verborum ejusdem Dionisii , *aut Deus naturae patitur , aut tota mundi machina dissolvetur* . Athenienses patienti naturae Deo , sibi ignoto , compatientes , Aram extruxerunt hac inscriptione insignitam *Ignoto Deo* .

3. Altare privilegiatum pro Defunctis , non communicatur per aggregationes Confraternitatum , et participationes Indulgentiarum ; nec indultum suffragatur , nisi in eo celebrentur Missae *de Requiem* , licet hoc indulto non exprimeretur .

4. Altare *Portatile* , ligneum , cum *Ara* lapidea , permitti debet, non obstante Constitutione Synodali , dummodo *Ara* , seu *Petra* consecrata non sit lata minus uno Palmo , et habeat solitum repositorium reliquiarum .

5. Altaria , sub quorum pradella sepulta sunt Cadavera , licet amittant consecrationem , debent tamen interdici , donec alibi asportentur Cadavera .

6. Altaria demolienda non debent esse Juspatronatus , nec onera habere Missarum : Altaria incomoda , et indecenti loco posita , debent interdici , demoliri , eorumque onera , alibi per Ordinarium transferri . Item Altaria inornata , indotata , possunt aliis concedi Patronis ; si proprii post trinam

monitionem , ab Ordinario faciendam id prestare recusent : v. ORNAMENTA *Altaris*.

ALTERNATIVA . Quoad Beneficia , ortum habuit an. 1447 , et est regula 9. Cancellariae , in qua reservantur Summo Pontifici menses *Jan. Febr. Apr. Maj. Julii, Augusti, Octobr. et Novembr.* et Ordinariis menses *Martii, Junii, Septembr., et Decembr.* v. Barbosam . *De Potestate Episcop. etc.*

AMBITIO . *Est inordinata cupiditas honoris, dignitatis, potentiae, etc.* Saepe est peccatum mortale, vel ratione materiae graviter malae, vel damni gravis , quod proximo infertur, vel periculi peccati gravis , vel medii graviter illiciti, vel finis mortalis , vel affectus inordinati , ut si quis paratus esset peccare ad honorem , vel dignitatem obtinendam . Haec est una ex pessimis filiabus superbiae . *S. Thom.*

AMICITIA . v. AFFABILITAS .

AMPLEXVS . v. ACTUS IMPERFECTI LUXURIAE *n.* 3. *et seq.*

ANATHEMA , videtur proferendum penultima correptas, et est excommunicatio, seu suprema maledictio . Dicitur ab *Ara*, idest *sursum* et *thema* idest figura , quia olim imprimebatur figura frontibus damnatorum . *Lexicorum lexic.* Garuffi .

ANCILLA Monialium . Servientes mulieres saeculares intra Monasteria , concedi non possunt ab Ordinario ; immo Sedes etiam Apostolica, regulariter , hanc licentiam denegnavit 1588. Neap. 12. Aug. et multiplicibus aliis vicibus .

2. Sed extra teneri debent in domibus contiguis, vel minus remotis ; unde data necessitate , campana vocentur *Sac. Congr.* Et quousque habent intus Ancillae seculares, non datur licentia vestiendi Conversas . *S. Congr.*

ANCILLAE , Sedis etiam Apostolicae auctoritate receptae, dimittuntur, nisi eis a consanguineis Monialium , quibus famulantur, victus , et vestitus praestetur . *S. Congr.*

2. Ancilla recepta pro servitio monialis particularis, eo durante , cogi non debet ad inserviendum Communitati *Sac. Congr.*

3. Ancillae hujusmodi mitti non possunt extra clausuram *S. Congr.* Neque de uno Monasterio ad aliud *S. Congr.* 1600. 1602.

4. Semel egressae nequeunt iterum reingredi *Sag. Congr.* 1628.

5. Ancilla concedi solet Moniali seni, et infirmae, si ei non possit applicari una ex communibus. *S. Congr.* 1601. audita prius informatione Ordinarii, precise in Italia. *Sag. Congr.* 1621.

6. Ancillae hujusmodi non solum nequeunt recipi, sed nec in locum deficientium subrogari, absque speciali licentia vel Sedis Apost. vel *Sacrae Congreg.* 1613.

ANGELUS. v. ORATIO *n.* 5.

ANIMA. Rationalis, seu intellectiva *est forma substantialis hominis, ut Definitum est in Concilio* Viennen. sub Clem. V., et *est immortalis*. Non est ex substantia Dei, nec simul cum carne nascitur per Adamum, sed est de fide, quod a Deo creatur. *Conc. Later. 4. c. 1. de fide*.

2. Animae hominum non fuerunt omnes creatae in initio Mundi, nec antequam uniantur corpori, nec duae sunt in uno homine, nec una sola in omnibus, sed in quolibet est propria. Contrarium asserens, haeresi fulminat. *Conc. Later. V. sess.* 5. *et* 8.

3. Animae mortuorum, non vident ea, quae apud nos aguntur, et quae nobis bona, malave accidunt, suopte ingenio minime assequuntur. Tribus autem modis scire possunt; aut Divino Spiritu eas illustrante; aut Beatis Angelis indicantibus; aut aliis animabus, quae ibidem demigrant Deo permittente, nuntiantibus. *S. Aug. l. de An. et Spir. c.* 29.

4. Animabus Beatis preces nostrae innotescunt, ad eas deferentibus Angelis Sanctis. *D. Dionys. in* 2. *cap. Coelest. Hierarch.* vel in Verbo videntibus, ut placuit D. Gregorio, quem citat *D. Thom.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 4. et sic *S. Bonav. et alii*.

5. Animae, quae sine labe post baptismum separantur a corpore, in Coelis recipiuntur; sic illae, quae poenas luerunt, sive in corpore, sive in Purgatorio. *Conc. Flor. sess. ult.*

6. Animae patiuntur poenas in Purgatorio, quas in vita pati debebant. *Conc. Flor. ib.* In Purgatorio juvantur suffragiis Fidelium, ut Missis, Orationibus, Indulgentiis, et aliis, quae pro ipsis ab Ecclesia militante fieri solent. Purgatae in Coelum ascendunt, Deum vident, sicuti est. *Conc. Flor. ibid.*

7. Quae vero (quod absit) decedunt laqueatae peccato mortali, descendunt in infernum, ibique poenas luunt aeternas, juxta culparum qualitatem.

8. Animae purgantes an possint pro nobis orare, vel mereri? Duae sunt Opiniones principes. Prima est S. Thomae 2. 2. *q.* 83. *a.* 11., et aliorum, dicentium, eas non posse pro nobis orare, nec aliquid vel mereri, vel impetrare, quia non sunt in statu orandi, sed potius in statu, ut oretur pro ipsis. Sic etiam sentit. S. Aug. *l. de Cura agen. pro mortuis c.* 13. Secunda sententia est Bellarmini, multorumque aliorum, dicentium Animas Purgantes posse pro nobis, orare, mereri, et impetrare, quia sunt Sanctae, Deo charae, et quamvis ab ipso affligantur, affliguntur tamquam a justo Judice, a Patre benigno. Eo vel maxime hoc probant innumeri Scriptores, gratias a Viatoribus per ipsas receptas, referentes, Cum istis certe est sensus meus.

ANNIVERSARIUM. In communi, et stricto sensu sumitur Anniversarium pro onere, seu adimplemento oneris impositi ad suffragia singulis annis pro Defunctis impertienda, et anni die, qua accidit, recurritque mors Testatoris.

2. Anniversaria, et Missae de Requiem cum cantu quotannis celebrandae, possunt cantari, etiamsi mors inciderit in Festum dupl. maj. sed *vid. Rubricistas*.

ANNUS SANCTUS, hujus institutionem Auctores celebres repetunt ab Apostolis, vel ab immediatis eorum Successoribus, est ille *universalis Jubilaeus*, qui certis revolutis temporibus pro integro anno Romae solet indici.

2. Bonifacius VIII. indixit pro unoquoque centesimo, fuitque a Deo miraculis comprobatus, ut narrat *Raynaudus*, *ad an.* 1300 A Clem. VI. *an.* 1350. reductus fuit ad Quin-

quagesimum. Urbanus VI. an. 1389., instituit, ut ob memoriam an. 33. quibus Christus noster vixit in terris, Jubilaeus quovis trigesimo tertio anno celebraretur, quam dispositionem Martinus V. Nicolaus V. ratam habuerunt, ut notat Paulus II. in sua Constit. *Ineffabilis Providentia*, in qua an. 1470., statuit, ut imposterum Jubilaeus ageretur anno quolibet 25., quem ratum habuerunt ejus Successores, usque ad annum 1775. Anno 1800. sedente S. M. Pontifice Pio VII., ob magnos, turbulentosque bellorum strepitus; interque pene incredibiles Regnantium, atque Nationum defectiones, nec non Ecclesiae Dei lacrymabiles jacturas, Jubilaeum statuit prudenter differendum. Quod tamen sedente Leone XII. Pontif. Max prima vice indictum fuit die Ascensionis Domini 27. Maii anni 1824. pro sequenti 1825.

3. Anno Sancto imminente, in die Ascensionis Domini ante Annum Sanctum maximo Apparatu post Evangelium, Diploma Pontificium recitatur in Basilica S. Petri.

4. Annus Sanctus incipit a primis Vesperis Nativitatis Domini, et desinit ad primas Vesperas ejusdem Nativitatis anni seq. Vespere initio anni dicuntur post aperitionem Portae Sanctae, in fine anni, antequam ipsa Porta claudatur. Dicitur Porta Sancta, eo quia, qui per eam ingrediuntur gratiam consequuntur Divinam, et dum clauditur, benedicuntur lapides calx, et alia id genus.

5. Pro hoc Jubilaeo lucrando indictae sunt variae Ecclesiae visitandae, et sunt usque ad praesens Basilicae: S. Petri. S. Pauli: Lateranensis: Sanctae Mariae Majoris de Urbe: Tales Basilicae visitari debent per vices triginta a Romanis, et Incolis Urbis, et per quindecim ab Exteris: Quandoque Summi Pontifices has restringunt vices, et Poenitentiariis Basilicarum facultatem diminutionis impertiuntur. v. etiam INDULGENTIAE, JUBILAEUS.

6. Sic servatur tempore Anni Sancti respectu visitationis Ecclesiarum: De eae tero septem sunt Ecclesiae visitandae, et praeter signatas, sunt Ecclesiae. S. Sebastiani. S. Crucis in Jerusalem: S. Laurentii extra muros, et pro devotione visi-

tatio *Scalae Sanctae*, ut patet ex libello, ad hoc typis nuper dato *Romae*.

ANTICHRESIS est pactum initum inter creditorem, et debitorem, ut creditor possit uti fructibus pignoris, usque dum satisfecerit sibi. v. HYPOTHECA n. 9. 10.

APOSTASIA. Est totalis defectio, seu recessus a fide Christiana per Baptismum suscepta, et licet differat ab haeresi solum secundum magis, et minus, iisdem tamen subjicitur poenis, quibus haeresis.

2. Apostasia triplex est. Alia ab *obedientia*, et late sumpta invenitur in omni lethali culpa; stricte vero est, cum quis justis Superiorum praeceptis se opponit; et obedire recusat. Alia *ab Ordine*, cum Sacro initiatus Ordine habitum Claricalem dimittit, ut vivat laico more. Alia *a Religione*, et est recessus a statu Religioso, ad statum vitae Saecularis, Religionis habitu dimisso, vel cum animo non redeundi. Caetera videre est apud Auctores.

3. Apostata, ut dixi, iisdem plectitur poenis, quibus affligitur haereticus. Apostata internus, sed non externus, absolvi potest a quocumque Confessario, etsi tutius sit recurrere ad Sacram Poenitentiariam, quae praecipere solet, ut prius apud S. Officium abjuret.

APOSTATA A RELIGIONE, saltem ante poenitentiam est irregularis. Apostata recipi debet a Religione, salva regulari disciplina, dum poenitentes redeunt: non obstant. Constitut. prohibentibus recipi eos, qui ter apostatarunt *S. Congr.* 1603. CERTOSINI

2. Apostata a fide, et Religione debet recipi ad abjurationem, absolvi ab Excommun., et dari ei licentiam transeundi ad aliam Religionem, si receptores inveniat benevolos. Interim debet manere in Saeculo in habitu Clericali, et suspendi ab exercitio suorum. *Geruss. Inst. Canon.*

APPELLATIO. *Est ab inferiori, ad superiorem Judicem provocatio, ratione gravaminis illati, vel inferendi, facta*, et duplex est. *Judicialis*, quae fit ab actu judiciali, ceu a sententia Judicis, sive difinitiva, sive interlocutoria, qua

quis se gravatum putat. *Extrajudicialis*, quae fit ab actu aliquo extrajudiciali, quo, quis se gravatum putat, vel timet, sic est ea, quae fit contra Electiones, Collationes etc.

2. Appellatio propter tres causas est potissimum introducta. 1. Ut gravamen inique opressis illatum removeatur. 2. Ut iniquitas judicantium, aut imperitia corrigatur. 3. Ut ex propria ignorantia, vel negligentia laesus jus suum consequi possit etc.

APPROBATIO CONFESSARII; est necessaria ex *Conc. Trid. ses.* 23. *c.* 5., et est consensus, et facultas Episcopi, ut Sacerdos munus suum exerceat Confessarii, quem ad id idoneum judicat. Sine hac approbatione, nec licite, nec valide quis Confessiones audit, ut declarat Sac. Congreg. et praxis Ecclesiae.

2. Confessarii munera sunt *Peccata audire*, *cognoscere*, et *judicare*. Si enim deficit, in audiendis peccatis, invalide absolvit, quoties audit, si deficit vel in recte cognoscendis, vel judicandis, invalide absolvit, quoties Poenitens indispositus est; alias valide absolvit.

3. Confessarii conditiones sunt: *Potestas*: *Scientia*: *Bonitas*: *Prudentia*: *Sigillum*: Nam sine potestate invalide absolvit: sine scientia nescit, quid agat; sine bonitate, et prudentia, poenitenti prodesse nequit, et sine Sigillo, Sacramentum reddit onerosum.

4. *Approbatio* non est collatio Jurisdictionis. Per *approbationem* enim idoneus, et sufficiens judicatur ad confessiones audiendas. Per *collationem* vero datur tali Sacerdoti potestas ab Episcopo, vel a Praelato Regulari in suos subditos ad audiendas eorum confessiones, ideoque collatio jurisdictionis necessario supponit approbationem, et approbatio igitur potest stare sine jurisdictione, ut si Episcopus, vel Praelatus, non obstante idoneitate Sacerdotis, eum adhuc non deputaret ad audiendas Confessiones *Regin. l.* 1. *n.* 168.

5. Approbatio nequit dari a Parochis pro suis Parochianis *Conc. Trid. ses.* 25. *c.* 15. Immo nec Parochus potest, sicut Episcopus, eligere simplicem Sacerdotem in suum Con-

fessarium. Immo, post dimissum beneficium, non potest absque nova approbatione confessiones audire, nec etiam tempore Jubilaei, nisi fuisset prius approbatus sine limitatione temporis, independenter a beneficio Parochiali. *Conc. Trid. ib.*

APPLICATIO Missae v. SACRIFICIUM n. 16. v. MISSA.

AQUA BENEDICTA est duplex. Una ordinata ad consecrationem, et reconciliationem Ecclesiae pollutae, quae ab Episcopo benedicitur cum vino, et cinere: Alia ad aspersionem hominum, domorum, aliorumque omnium, ad repellendos invisibiles hostes, et benedicitur a Sacerdote cum sale.

2. Cum haec benedictio sit certi Ordinis Sacerdotalis, Diaconus benedicere nequit, et ipse Sacerdos vel excommunicatus, vel suspensus benedicens, fit irregularis.

4. Aqua benedicta non se debet signare Sacerdos e Sacristia celebraturus procedens. *Caval. in Agend. Des. c. 12. n. 3.* Rubrica certe nullam de hoc fecit mentionem, sicque observant Sacerdotes Rubricarum scrupulosi observatores.

5. Aqua benedicta venialia delentur, ab infestatione Daemonis purgantur domus, agri, aer. etc. Usus aquae benedictae in Ecclesiis, et in domibus servandae, initium habuit an. Christi 119.

AQUA MISCENDA vino in Missa V. EUCHARISTIA.

ARCHIDIACONUS; Idest primus inter Diaconos, qui ab Apostolis originem habuerunt, ex quibus antiquior Archidiaconus nominabatur.

2. Achidiaconi Auctoritas est tanta, ut nedum Vicarius natus Episcopi fuerit constitutus, sed Episcopi oculus appellatus, ideoque antefertur Archipresbytero, qui Archidiaconi jurisdictioni subesse tenetur. *Conc. Trid. sess. 24. c. 12.*

3. Multa de jure pertinent ad officium Archidiaconi 1. Clericis, et Ministris praecipere, quae sui officii sunt: de tertio in tertium annum, si Episcopus non possit Dioecesim totam visitare, hodie tamen (in casu) fit per ejus Vicarium Generalem quolibet anno, aut biennio 2. Ipsius est divinum officium disponere, lectiones distribuere, Acolythos instituere, omnesque diri-

gero in iis : quae Sacri sunt ministerii 3. Custodia sacrorum Vasorum ad ipsum spectat. Ecclesias sui Archidiaconatus semel in anno visitare. Per Conc. tamen Trid. debent, assumpto Notario Visitationis, Episcopo reddere rationem 4. Ipsius est institutio Corporalis, tam in beneficiis, quam in dignitatibus; Examinatio Clericorum ordinandorum, et eorum, qui beneficiis sunt praeficiendi Ecclesiasticis, cum hoc tamen, ut Episcopo praesententur, et approbentur *Cap. ad haec.* Sed consulendum Conc. *Trid. sess.* 23. *c.* 7. *de Reform*, et attendenda cujusque specialis Ecclesiae consuetudo etc.

ARCHIEPISCOPUS ; ARCHIMANDRITA V. *Canonistas*.

ARCHIPRESBYTER. Primus, et dignior inter Praesbyteros, sicut inter Diaconos Archidiaconus.

2. Dupliciter intelligitur. Unus *Urbanus* : alter *Ruralis*, sive *Foraneus*. *Urbanus* ille est, qui in urbe Episcopali ordinario praest caeteris Praesbyteris, in agenda animarum cura, et vice Episcopi supplenda, in Divinis Officiis *Ruralis*, vel *Foraneus*, qui extra civitatem in certa Dioecesis parte praest coeteris per minores titulos, et plebis curam, et inspectionem habet Nihil tamen ordinare debet absque sui Praesulis licentia *V. Canonistas*.

ARMA. Clerici Christum rapresentantes, a Christi lenitate haud debent differre, et deficere. Hinc in Sacris constitutis vel Beneficiatis, prohibet Ecclesia sub paena excommunicationis armorum delationem, et multo magis profectionem ad bellum sub poena excomunicationis, et censurarum, aliarumque poenarum ferendae sententiae, ut patet *c. clerici*, et ex Clem. I. *de vita, et honestate clericorum*.

2. Ad dignoscendum quando, vel non peccant, sit haec praxis. Si Clerici arma deferunt, peccant, quoties non adest necessitas. Si pergant ad bellum, peccant, quoties militent, cum ad occisionem proxime concurrunt sine necessitate. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 40. *a* 2. *Vid. Instit. Bened. XIV.* 101. *et ab eo praescripta*.

ARRHA. Sumitur pro pignore, quod traditur pro stabi-

lienda obligatione, ad non recedendum a facto contractu emptionis, venditionis, seu alterius, sub poena amittendi tale pignus, si sine legitima causa a tali contractu recedatur. *Instit. de Emptione, et vend.*

2. Solet etiam arrha intelligi pro eo, quod per sponsos, vel eorum parentes post sponsalia datur, pro assecuratione perficiendi contractum promissi Matrimonii, et distinguitur a sponsalitia largitate, seu a dono sponsalitio, donatione ante nuptias, quae non in pignus dantur, sed in signum amoris, et affectus.

3. Injuste resiliens a sponsalibus, perdit arrhas; et si sit major 25. annorum debet restituere in duplum, secus, solum id, quod recepit; *l. Mulier* 3. et si uterque arrhas dedit, resiliens datas perdit, et acceptas restituere debet, in *cit. loc. c.* 6. Nomine arrhae, annuli plerumque traduntur, nec annulis olim, (non hodie) utebantur faeminae, nisi, quos, Virgini, sponsus miserat, nec amplius, quam binos annulos in digito portabat.

ARS FABRILIS V. ARS MECHAMICA N. 7.

ARS MECHANICA. Illa est, quae manum magis, quam mentem occupatam detinet, istoque explicatur carmine.

Rus, Nemus, Arma, Ratos, Vulnera, Lana, Faber.

Circa hoc, duo scire Theologum moralem decet, seu, artes quascumque Christianae, Morali haud opponi. 2. Ab exercitio istarum removendam esse omnem fraudem. Et revera.

2. *Mechanicae* artes sunt maxime utiles, et earum exercitium, ad consequendam salutem, est aptissimum. Sic Script. *Eccles. c.* 36. *v.* 25. *Sic SS. PP. unanimiter*

3. *Terrae cultura*, et pecorum cura, nihil habet, nisi sanctum, si cum pietate exereeatur. Sic Adam, Abel, Cain, Abraham, Loth. Noe rebus Pastoritiis occupati fuere: debet tamen intelligi, ne damnum aliquod aliis inferatur, ex malitia, vel negligentia, quo in casu teneri ad restitutionem illati damni, et totius damni, est cautum.

4. *Belli* exercitium, nihil habet, nisi sanctum, si cum pietate exerceatur. Bellum enim exercuerunt SSmi viri, ut constat ex Scriptura, et Historia. Sed qui vacat armorum exercitio, graviter peccat, si damnum proximo intulerit, teneturque ad damni restitutionem. Sic *Luc.* 3. *v.* 14. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 100. *a* 2. *v.* BELLUM.

5. *Negotiatio*, sive per transvectionem, sive per societatem facta, nihil habet vitii, si cum aequitate jungatur; sed, qui per hanc damnum proximo causat, graviter peccat, et restituere tenetur, nullibi enim est tam necessaria bona fides, quam in negotiatione, sicut nullibi gravius peccatur, quam cum fraude, et dolo. Sic Ezech. 28. *et PP. passim*.

6. *Medicina, Chirurgia*, *Pharmacia*, Exercitium circa morbos curandos, nihil habet, nisi sanctum, ubi sit cum pietate conjunctum, has enim artes, summo in honore habendas esse docet *Eccles.* 38. *v.* 1. *et seg.* Peccant ideo omnes isti, et quam saepe! quam graviter! Peccant inquam, et ad difficillimam restitutionem tenentur, qui sanandis hominum morbis incumbunt, si damnum aliquod aegrotis inferant, vel ex *Inscitia*, vel ex temeraria *praecipitatione*, vel ex *livore*, aut *avaritia*, vel *negligentia* etc. ex quibus tot damna oriuntur, quae innumeros deferunt in alio mundo aegrotos, innumeras reddunt desolatas familias etc. legatur *D. Thom.* 1. 2. *q.* 76. *Vives*, *et alii*.

7. *Ars Fabrilis*, *Tentoria* etc. Artes istae, sunt pietati consonae, eas enim dedit Deus posteris Adae. Ergo, quicumque operantur, vel circa saxa, vel circa ligna, vel circa metalla vel circa lanam, aut aliud, graviter peccant, si vel materiam vitiosam ministrent, vel eam non elaborent secundum regulas artis, quia in utroque casu damnum inferunt proximo, et ad restitutionem tenentur.

ARTICULUS *mortis* V. MORTIS etc.

ASSECURATIO. Est alieni periculi susceptio, obligans assecuratorem, ad solvendum assecurato pretium statutum, si res assecurata perit, et e converso, assecuratum astringit ad solvendum assecuratori pretium statutum, si res assecurata

non perit, et licet ex pecunia lucrum acquiratur, non tamen est usurarium, quia non recipitur ratione lucri, sed periculi, quod est pretio aestimabile; tum quia hic contractus pertinet ad sponsionem, cum uterque ex contrahentibus se exponat incerto eventui. *S. Thom. et omnes DD.*

2. Ad dignoscendum, quandonam assecuratio valida sit, vel non, haec prompta est regula. Si assecuratio fit cum alterius scientia, semper invalida est: si cum utriusque ignorantia valida est, quoties res permanet ex parte assecurati, et ex parte assecuratoris, potentia solvendi, unde.

3. Si Mercator obtinet assecurationem ab altero supra rem quam scit, certo periisse, vel alter ei praestat assecurationem supra rem, quam certo scit esse in tuto, assecuratio absolute est invalida, quia fit cum alterius scientia. Secus vero, si neuter certo sciat, etiam si dubitet, ex documentis certis, conjecturis, epistolis etc. adhuc fieri censetur cum utriusque ignorantia.

ASSENSUS. Generatim est *adhaesio intellectus ad verum*, et duplex est. Assensus ex propria convictione: assensus ex auctoritate aliena. Primus ille est, qui procedit ex clara objecti propositi perceptione; talis est actus, quo ego judico, *totum esse majus sua parte*, adhaereo enim huic veritati, quia rem ita esse video. Assensus ex auctoritate aliena, est ille, qui fundatur non in clara objecti propositi perceptione, sed in auctoritate dicentis. Talis est actus, quo ego assentior *solem* moveri, non quia id clare video, sed quia *Aristoteles*, cui credo, dixit.

2. Assensus formatus in auctoritate humana, non est ex se firmus, quia semper est timendi locus, ne ille, cujus auctoritate nitimur, vel fallatur, vel fallat; ille assensus dicitur, *fides humana*.

3. Assensus formatus in auctoritate Divina, est semper firmus, quia certum est, quod Deus non potest falli, nec fallere. Non potest falli, quia est infinite sciens; non potest fallere, quia est infinite bonus. Hic assensus dicitur *Fides Divina*, quae est domum Dei, quo assentimur veritatibus no-

bis a Deo revelatis, et per Ecclesiam propositis. v. FIDES.

ASPECTUS indebitus v. ACT. IMPERF. LUXURIAE.

ASTROLOGIA. ASTROLOGUS. Duplex est Astrologia. Una *naturalis*, quae et *Astronomia*. Altera *Judiciaria*, quae nomen retinet *Astrologiae*.

2. Naturalis illa est, quae ex Astrorum, maxime Planetarum, ortu, occasu, conjunctione, varioque aspectu, tum inter se, tum ad Stellas fixas de futuris elementorum affectionibus, conjectat ea, quae naturaliter contingunt, et sic praedicit Ecclypses, pluvias, siccitates, morbos animalium, ventos, gradines, et caetera, quae pendent a coelo.

3. Judiciaria illa est, quae ex aspectu, situ, motu, etc. Astrorum eventus in particulari a libera hominis voluntate aliquomodo pendentes praedicit, ut de conditione vitae, Matrimoniis, de liberis, honoribus, imfortuniis, deliciis, divitiis, praeliis, exilio, carcere, morte, et aliis hujus furfuris casibus humanis. Judicat etiam de praeteritis, et praesentibus occultis *e. g.* quis sit hujus parens, quis furtum commiserit, vel humicidium. v. DIVINATIO.

4. Astrologia naturalis est una ex artibus liberalibus nec est prohibita; secus autem *Judiciaria* omni jure prohibita, et gravissime peccaminosa; hujusque damnatae artis cultores vocantur *Genethliaci*, *Planetarii* etc. contra quos variae sunt statutae paenae, ut contra Negromanticos, aliosque magos etc. v. DIVINATIO.

ASTUTIA; v. DOLUS.

ATTENTIO. *est actus intellectus, per quèm homo considerat ea, quae facit*; et differt ab intentione, quae *est actus voluntatis circa finem*; et duplex est. *Interna*, et est animi advertentià, et applicatio ad id, quod facit, vel recitat. *Externa*, illa est, per quam nihil externè fit, quod compatibile sit cum attentione interna, ut legere, scribere etc. Attentio triplex est, *actualis*, *virtualis*, *habitualis*.

3. Ad satisfaciendum praecepto de recitando D. Officio, de audienda, vel celebranda Missa, requiritur sub culpa mortali, nedum attentio externa, sed etiàm interna, et si una

deficit, non impletur praeceptum, maxime, ubi distractio sit voluntaria.

ATHEUS. Ille est, quì negat Deum existere, practice tamen, non speculative. *Deista*, qui negat, Deum esse Trinum. *Politheista* qui negat, Deum esse unum. *Arrianus*, quì negat Verbum esse Patri consubstantialem. *Sabellianus*, qui negat, pers onas Divinas esse inter se distinctas. Demum quicumque haereticus, qui sufficienter de doctrina Christi instructus, negat pertinaciter a liquid eorum, quae, ut credenda, proponit Sancta Universalis Ecclesia. Quod peccatum infidelitatis, quam sit gravissimum, Testatur Ap. *Tim.* 1. *c.* 6. *v.* 3., *S. Thom*: *etc.*

ATTRITIO *Est dolor imperfectus, quem libet vocare initiativam contritionem de offensa Dei*, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, poenarumque metu, vel ex timore amissionis gloriae, communitter percipitur: debet tamen, ut, cum confessione veniam obtineat, excludere voluntatem peccaudi cum spe veniae; sed fusius, ubi *de Contritione*.

AVARITIA, est inordinata cupiditas divitiarum, hoc est, paecuniae, et rerum paecunia aestimabilium, ut agri, domus, pecora, etc. Est peccatum mortale capitale, *ait Ap. radix malorum omnium*.

2. *Avaritia* considerari potest in triplici aspectu: circa Deum: circa proximum; circa seipsum: Circa Deum, cum adeo immoderate appetit avarus divitias, ut in eis constituat ultimum finem, paratus legem Dei violare, curamque solutis postponere, ut ait D. Aug. *in Psalm.* 98. Circa proximum, cum repugnat graviter charitati, vel justitiae erga proximum, immoderato habendi amore, injuste auferendo, retinendo rem alienam, aut duriter non succurrendo extremae, vel gravi proximi necessitati. *S, Thom*, 2, 2. *q.* 118. *a.* 4. Circa se ipsum peccat avarus, cum non in alios tantum saevit, sed in seipsum non utendo divitiis, ad necessitatem, vel subsistentiam necessariis, reddens supplicium vitam suam.

3. Avaritia semper est lethalis, ubi justitiae opponitur in

re gravi, et aliquoties, esto non opponatur. S. *Thom. ib.* Ubi vero solae opponitur liberalitati, erit veniale, utpote mera illiberalitas.

4. Avaritia septem habet in inferno progenitas filias. *Duritia* cordis, vitium a pauperum compassione avertens. *Inquietudo* mentis avarum tenens continuo agitatum. *Violentia*, ad vim inferendam trahens. *Fallacia* ad decipiendum inclinans. *Perjurium*, cum falsitate. *Fraus* proximum decipiens quoad res. *Proditio*, decipiens quoad Personas.

5. Precipua avaritiae remedia sunt. Oratio: Caelestium meditatio: Crebra eleemosyna: Resignatio bonorum in jactura. *S.Thom*; *ibid*.

6. Avarus ait S. Hieron. *Est bursa Principis*: *Capserius latronum*, *rixa parentum*, *et sibilus hominum*.

AUCTORITAS ECCLESIAE: Ecclesia habet potestatem condendi leges, obbligantes in conscientia singulos baptizatos. Praeter innumera Scripturae, rationisque argumenta, lege Trid. *Sess.* 6. *Can.* 20.

AUDITIO Missae. v. MISSA: DIES FESTI,

AUGURIUM. v. SUPERSTITIO.

AUREOLA Est *animae beatae gaudium accidentale de excellenti victoria sua, in corpus, speciali fulgore corruscans*. Triplicis generis est Aureola. 1. *Martyrum*, qui de Mundo. 2. *Virginum* quae de carne. 3. *Doctorum*, qui de Diabolo triumphaverunt.

AURICOLARIS CONFESSIO. v. CONFESSIO.

B

BACCHANALIA. Quid de istis sentiam, paucis explico. Bacchanaliorum consuetudo est tolleranda, quamvis non rationi, sed voluptati sit consona. Hujus ratio est, quia, si ab istis averterentur populi, pejores evaderent, pejora amplectentes; ut habet in L. *Denique dist.* 8. *c. mala consuetudo*. Attente legat Theologus Const. Bened. *XIV. T. II. Inter caetera*.

BAPTISMUS. *Est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*, sive est exterior hominis cum aqua, et certa verborum forma, ablutio, originarium delens peccatum *Cath. Rom. de Bapt. c.* 5.

2. Baptismus est a Christo institutus ante suam passionem, et ante illud tempus, quo ipse, et discipuli ejus baptizabant. Est primum novae legis Sacramentum, primitate institutionis, et necessitatis, sine quo alia non suscipiuntur Sacramenta. *Conc. Flor.*

3. Est probabilis opinio, quod Christus propriis manibus baptizaverit suam SSmam Matrem: S. Petrum, aliosque Apostolos, et quod Apostoli baptizati fuerint baptismo Christi, *habetur in cap. de consecr. dist.* 4.

Nota Dixi Beatam V. Mariam, esto a peccato originali immunem, Apostolos licet e peccatis mundatos, tamen recepisse baptismum. Hoc intelligi debet, non quidem recepisse, ut mundarentur; sed ut initiarentur; non ut primam gratiam Christi reciperent, sed ut charactere Christi initiarentur. Baptismus enim introducit in Christianam Religionem; 2. *Producit internum characterem, quo baptizatus a non baptizato distinguitur, et quo introducitur in Ecclesiam* 3. *Baptismus est necessarius illis quoque, qui sunt immunes, vel mundati ab originali labe ratione characteris.*

4. Baptismus triplex est. *Fluminis. Flaminis, et Sanguinis* Baptismus fluminis conficitur ex aqua, et verbo. *Flaminis* ille est; cum quis summo ardens desiderio baptizari, interim moritur, antequam beptizetur, hic parvulis non competit, impotentibus tale elicere desiderium. *Sanguinis* est, ubi quis an-

te baptismum, ob Christi fidem, mortem est passus, et hic quoque parvulis adjudicatur, ubi in odium fidei interimuntur, vel Mater utero tumente, pro fide Christi necaretur.

Not. Esto triplex sit assignatus baptismus, non sequitur tria esse Baptismi Sacramenta, quia baptismus fluminis *solùm est Sacramentum, quia est unicus in essentia, et specie juxta Apost. dicentem.* Unus Dominus, una fides, unum baptisma, *Baptismus vero* Flaminis, et Sanguinis, *non sunt Sacramenta, sed vicem Baptismi supplent per Cordis contritionem, sanguinisque effusionem, quia inquit Glossa in c. Baptismi vicem lib. de consecr. dist.* 4. mundatur homo a peccatis per poenitentiam, *vel sanguinis effusionem, sicut per lavacrum baptismi, et in defectu Fluminis, haberi per alios justificationem docet Trid sess.* 6. *c.* 4.

5. Baptismus extra casum Martyrii est omnibus ad salutem necessarius, necessitate medii. Parvulis necessitate medii in re. Adultis, in re, vel in voto, ut docet Trid. *sess.* 6. 1. 2.

Not. Baptismum non esse validum, nisi insimul Chrisma, et Eucharist. baptizato infanti tribuantur, tamquam haereticum dogma damnavit Bened. XII. *contra Armenorum errores.*

6. Ad conficiendum baptisma, tria expetuntur. *Materia forma; Intentio*, tam in baptizante, quam in suscipiente, adulto.

7. Materia baptismi, alia est *remota*, aqua scilicet pura, naturalis, elementaris, sive calida, sive frigida, sive dulcis, sive ex gelu resoluta, vel grandine etc. Hinc peccaret, qui in solemni baptismo adhiberet aquam aliam, quam benedictam, vel aqua uteretur turbida, cenosa absque necessitate, ageret enim contra reverentiam Sacramenti, et peccatum committeret sacrilegii. In sola enim necessitate fas est uti dubia materia, sicut fas est abluere infantem in quacumque corporis parte, ut infantis saluti medela praestetur; sed amoto periculo, baptismus est sub conditione reiterandus, ut mandat *Rit. Rom.*

8. Forma baptismi apud nos est. *Ego te baptizo, in no-*

minè Patris, et Filii. et Spiritus Sancti. Nullum ex verbis istis omitti potest consulto, absque gravi culpa. Ad essentiam formae baptismi, quatuor requiruntur necessario, necessitate Sacramenti exprimenda, alias nullum esset Sacramentum 1. Debet exprimi persona, quae baptizatur per ly *Te* 2. Actus ipsius Ministri baptizantis per ly *baptizo* 3. Invocatio SSmae Trinitatis per ly *In Nomine* etc. 4. ut exprimatur non solum Trinitas personarum, sed etiam Naturae, unitas, quod fit per ly *In Nomine*, non autem in *nominibus D. Thom. 3. p. Sum. q. 66. ar. 6. ad 6.*

9. Minister baptismi ordinarius ex officio. et solemniter administrandi, cum solitis Ecclesiae caeremoniis, est Papa in toto Orbe Episcopus in sua Dioecesi, Parochus in sua Parochia, vel alius Sacerdos, ab ipsis delegatus. *Est comm.* In casu necessitatis Minister baptismi est quilibet homo, usum habens rationis, debitam materiam, et formam adhibens, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, sive sit Sacerdos; sive Diaconus, sive Laicus, sive vir, sive faemina, sive Paganus, sive Judaeus, sive haereticus, sive excommunicatus. In casu necessitatis Pater, et Mater possunt suam prolem baptizare, dum alius non reperitur, nec ulla incurritur Cognatio. *Rit Rom. de Minis. Baptismi.* Sic Trid, nulla etiam facta mentione necessitatis, *sess. 7. c. 4.* et ita validus est Baptismus nec reiteratione indiget. Parochus excomm. nequit absolute conferre baptismum, quia censura innodatus Sacramenta administrare nequit absque necessitate.

10. Subjectum baptismi capax, est omnis, et solus homo adhuc viator. Sic Trid. *sess. 7. can. 17. 13.* Unde nedum adulti, sed infantes vix nati, capaces sunt baptismi. Sic etiam furiosi, amentes, monstra, ex viro, et muliere genita, et si constet ex geminatis partibus principalibus corporis, duas habere animas, bis sunt baptizanda, vel una vice formam proferendo in plurali, et in dubio, bis baptismus conferri debet, unus absolute in perfectiori parte, alius in altera parte sub conditione, sic. *Si non es baptizatus, vel si es capax baptismi, ego te baptizo* etc. quod si monstrum genitum sit ex

viro, et bruto foemella (*quod puto impossibile*), vel viceversa, baptizandum, dicerem, sub hac conditione. *Si es homo, ego te baptizo etc.*

11. Baptismus est ab omnibus suscipiendus quam primum, et *Conc. Mediol. sub* poena excomm. vult dari Baptisma ante nonum diem post nativitatem.

12. Baptismus extra casus extraordinarios, sub culpa gravi in Ecclesia est ministrandus, ubi sunt fontes, exceptis filiis Regum, et Principum, qui extra Ecclesiam, et in domibus baptizari possunt. Sub nomine Principum, intellige, cum *Riccio dec.* 427. *et alios etc.* etiam Magnates, Comites, Barones etc.

13. Baptismi caeremoniae, illae sunt; quibus Ecclesia utitur Romana, quae aut mutari, aut omitti non possunt, nec a privatis personis, nec ab Episcopis. Trid. *sess.* 7. *can.* 13.. Sed nec omitti debent Sacramentalia. et signanter, saliva, sal, insufflatio etc.

14. Baptizatis non sunt imponenda nomina Idolorum, aut falsae Religionis poenitentium, sed Sanctorum Martyrologii.

15. Effectus principales baptismi sunt tres. Gratia sanctificans. Remissio omnis poenae proprie dictae pro peccatis debitae, Impressio characteris. *Trid. sess.* 6. *c.* 9.

16. Saltem unus requiritur Patrinus sub poena gravi in baptismo solemni: Sic tenet communis Ecclesiae praxis, et Parochus in casu graviter peccaret. Non sic autem de baptismo privato, ait *Trid. sess.* 24. *de Reform.*

17. Baptismi Patrinus, unus, vel una esse debet, vel ad summum possunt esse duo, masculus unus, altera foemina: *Trid.*

Nota. *Si plures designati suscipiant baptizatum de fonte omnes contrahunt cognationem spiritualem, cum ipso baptizato, et ejus Parentibus, et, esto Trid. prohibeat, non tamen irritat plurium admissionem ad munus Patrini: nihil enim innovavit, sed in suo robore reliquit antiquos canones, qui, esto prohiberent, non tamen irritabant pluralitatem suscipientium.* In aliquibus nationibus hic usus est ordinarius, ut Venetiis etc.

18. Levans de fonte infantem, ut Procurator, nomine alterius, non contrahit ipse cognationem, sed mittens.

19. Patrini nequeunt esse excommunicati, facinorosi, moribus infames etc. non muti, nec baptizandi parentes, quod si facerent, Pater cum conjuge spiritualem contraheret cognationem; ideoque absque dispensatione, debitum petere prohiberentur. Nec Monachi, nec Regulares sexus utriusque possunt licite esse Patrini, utpote a saeculo segregati. Possunt autem cum dispensatione.

20. Episcopi tenentur ex officio baptizare, praecipue in Sabbato Sancto, et Pentecostes. Parochi vero, expleta administratione, tenentur monere Patrinos de spirituali cognatione, de eorum obligationibus: inde in libro ad id proprio, signare ipsam baptismalem functionem, cum nominibus baptizati, parentum, et Patrinorum, et hoc ad probandam baptizati aetatem, parentelam, filiationem etc. *Conc. Trid. sess.* 24. *c.* 2.

BEATITUDO, seu finis ultimus hominis. *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Duplex est. *Objectiva*, quae est bonum, cujus possessione satiatur appetitus hominis. *Formalis*, quae est actio, qua, cum summo voluptatis sensu, possidetur objectum beatitudinis.

2. Hominis objectiva beatitudo est *Deus*, quia solus *Deus* potest hominis animam ita inebriare, ut nil aliud illi remaneat desiderandum. *S. Aug. de Civit. Dei l.* 39. *c.* 26.

3. Hominis beatitudo formalis. A Thomistis ponitur *in Dei visione*: A Scotistis *in solo amore fruitivo*: A plurimis *in gaudio beatifico*, quod sic definitur: *Intimus, ac suavissimus mentis creatae sensus, quo mens adeo est sibi conscia, se bene esse, ut nihil aliud expotet*. Hic est, et sensus meus, Scripturae, Patribusque innixus.

BELLI exercitium. v. ARS MECHANICA *n.* 4.

BELLUM. Quod differt a seditione, rixa, duello. *Est Regum, ac Principum, sive liberorum populorum discordia, arma sibi invicem inferentium*; Bellum differt a praelio, sive pugna, et certamine, quia haec sunt, cum fit confli-

ctus. Bellum vero totum est tempus illud, quo inter Principes discordia perdurat.

2. Bellum duplex est. *Defensivum*, cum Princeps, vel Respublica vim sibi injuste illatam, armis repellit. *Offensivum*, cum Princeps ipse, vel Respublica, *justa posita causa*, inimicum aggreditur, quod quidem Principibus licere demonstrat. *S. Aug. contra Manich. l. 2. omnesque D. D.*

3. Ut bellum dicatur justum, requiritur: 1. Legitima auctoritas. 2. Justus bellandi titulus, et hic certus, non exploratus, non dubius. 3. Recta bellantium intentio, ut scilicet, non ex odio, sed pacis studio, ad malos coercendos, bonosque sublevandos. Ideo subditi tenentur militare, dum non constet de injustitia. *S. Aug. S. Thom. et alii.*

4. Principes servare debent in bello justo. 1. Ut antequam moveatur bellum, Princeps, ab adversario, quod suum est requirat, qui, si paratus sit justam dare cautionem, a bello est abstinendum. 2. Ut innocentes directe non occidantur, ut pueri, foeminae, Religiosi, hospites, peregrini etc.

5. In bello justo, omnibus pugnare licet, exceptis Ecclesiasticis, quibus ex jure positivo vetitum est, exceptis tamen, vel summa Patriae necessitate tuendae, vel evidenti vitae suae periculo; aliter fiunt irregulares.

6. Bona capta in bello injusto, absolute Dominis suis sunt restituenda, praecipue si sint bona Ecclesiastica.

BENEDICTIO. BENEDICERE, tripliciter intelligi potest, *Enunciative*, quod fit *laudando*, et est benedictio, quam Deo tribuimus, cum eum laudamus, benedicimus etc. *Optative* bonum optando, et precando, et est benedictio, quam homo homini desiderat. *Imperative*, imperando, et operando effectus intentos, et est benedictio, quam dat solus Deus, vel per se, vel per suos ministros.

2. Benedictio late s mpta, duplex est. Una, quae datur a puro homine propter meritum Sanctitatis, et una, quae datur propter meritum Christi, et in hac requiritur 1. Ordo sacer; non necessario Sanctitas. Et haec pariter duplex est. Una personarum v. g. Abbatum, Virginum, Sponsorum,

Militum, Populi: et alia rerum, seu locorum v. g. Aquae, Vini, Olei, Caerae, Cinerum, Palmarnm, Vestium, Vasorum, Altarium, Ecclesiarum, Domorum, agrorum etc., et initium habuit *an.* 314.

3. Harum benedictionum, quae fiunt cum sale, et exorcismo, ad benedicendas res, et loca, ad homines aspergendos, Daemonesque fugandos, atque venialia abluenda, solus Sacerdos ex potestate sui ordinis est adequatus Minister.

4. Benedictionem in via dare potest Epsscopus in sua Dioecesi, Archiepiscopus, Primas in tota Provincia, et Romanus Pontifex in toto Orbe. Episcopus benedicit Abbates, Abbatissas etc.

5. Sponsus, et Sponsa, cum nubunt, sunt in Ecclesia benedicendi ante consummationem Matrimonii, ut tradit Conc. Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 1. Conjuges non benedicuntur, si ambo, vel alter sit benedictus, quae benedictio fieri debet a Parocho *S. Thom. in* 4. *dist.* 4. *q.* 3. *a.* 2. *ad* 2.

BENEDICTIO in articulo mortis. v. *Mantiss. I. in fine*.

BENEDICTIO Caerei Paschalis. v. *Rubricistas*. *Incepit an.* 417.

BENEDICTIONES, quae habentur in Missali fieri possunt a quocumque Sacerdote, absque praejudicio jurium Parochialium; quae vero in Rituali Romano, tantum ad Parochos proprie pertinere tradit Gavantus p. 4. tit. 19. n. 1., et Rubr. Miss.

BENEFICIUM Ecclesiasticum, de quo hic tantum agitur, est cum Canonistis. *Jus perpetuum, auctoritate Ecclesiae constitutum, percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter Officium spirituale, ex cap. Cum secundum Apost.* 16. *de Praeben.*

2. Ad verum beneficium requiritur. 1. Quod erectio sit Canonica. 2. Quod habeat aliquid spiritualitatis adnexum. 3. Quod conferatur a persona ad id idonea. 4. Quod conferatur Pessonae saltem in Prima Tonsura initiatae. 5. Quod sit perpetuum. 6. Quod sibi non possit retineri, sed necessario sit alii conferendum.

3. Multifarie dividitur Beneficium, et 1. In *Saeculare*, quod Clerico Saeculari: et in *Regulare*, quod Regulari addictum est, et debet conferri. Et pariter dividitur in Beneficium *Simplex*, seu non curatum, quod nullam habet adnexam curam animarum, jurisdictionem, praeeminentiam etc. sed solum Officii Divini recitationem, Missae celebrationem etc. vel *duplex*, seu Curatum, quod secum portat animarum curam, jurisdictionem in Foro externo, seu contentioso. 3. Dividitur iterum in *Manuale*, quod potest ad Collatoris nutum auferri, et in *Non Manuale*, quod, justa causa seclusa, adimi nequit. 4. In *Electivum*, quod per Electorum suffragia, confirmatione accedente, confertur. 6. In *Titulare*, quod ad vitam, et cum plenitudine Juris confertur. 7. In *Commendatum*, quod solius administrationis, aut custodiae causa datur, quod si ad vitam Commodatario detur, tunc illi ea fere omnia competunt jura, quae Titularibus. 8. In *Incompatibile*, quod adnexam habet animarum curam; vel personalem residentiam postulat, ut duo Curata beneficia duos Episcopatus. 9. In *Compatibile*, quod personalem residentiam non exigit, nec idem onus, ac Officium, eodem tempore persolvendum. 10. Aliud vocatur *Praestimonium*, et est stipendium, quod ab Ecclesiasticis redditibus abstractum, dari solet Canonicis, vel aliis Clericis, in vitae subsidium, quod si sit perpetuum, est beneficium proprie dictum. 11. Aliud interdum vocatur *Pensio*, jus nempe percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio, et si conferatur in titulum perpetuum, est verum Ecclesiasticum beneficium.

4. Beneficium Ecclesiasticum erigi debet cum expressa Episcopi auctoritate, alias non erit Ecclesiasticum, quod erigi debet in Ecclesia ad certum Altare, sub invocatione alicujus Sancti, cum onere praestandi (*ibidem*) spirituale Officium, propter hoc enim datur.

5. Beneficii Erector, seu Fundator, potest in limine erectionis adjicere quascumque qualitates, leges, conditiones sibi benevisas, dummodo non sint turpes, impossibiles,

et contra naturam, Jurispatronatus, et ab Episcopo admissae, quae omnia debent omnimode, integreque servari.

6. Quot modis beneficium acquiratur. Prima regula est Juris in 6. sic habentis Beneficium Ecclesiasticum, non potest licite, *subjunge*, nec valide, sine institutione canonica obtineri. Institutionis autem Canonicae sex sunt modi quibus beneficia aquiruntur. 1. *Collatione* libera. 2. *Praesentatione*, et subsequa institutione. 3. *Electione*, et subsequa confirmatione. 4. *Postulatione*, et subsequa admissione. 5. *Resignatione* accepta in favorem. 6. *Permutatione* adprobata. Nunc.

7. Collatio libera. *Est concessio juris in Beneficia, procedens ex mero conferentis* arbitrio. Jure communi Episcopus beneficia vacantia in Dioecesi sua confert, sicut, et Capitulum, Abbates etc. servatis tamen concordatis cum S. Romana Sede. Si Collator beneficium conferre negligit intra sex menses, a die. quo notitiam habuit, vel si indigno contulerit, collatio ad proximum Superiorem devolvitur, et sic gradatim ad Papam, a quo non regreditur ad Ordinarios.

8. *Praesentatio, et Jus Patronatus*. Est exhibitio cujusdam Personae ad beneficium, legitime facta per Patronum Superiori, ad quem pertinet institutio; quae *est Juris concessio in beneficio, facta ad praesentationem Patroni*.

9. Praesentatio potest etiam per Laicum fieri Juspatronatus habentem: nam praesentatio non dat jus in re, sed solum ex Canonum dispositione, dat jus ad rem, ita ut presentatus institui debeat a Praelato, nisi probetur indignus.

10. Patrono Laico ad praesentationem, quatuor conceduntur Menses a notitia vacationis beneficii: sex Ecclesiastico, qui, si intra id tempus neglexerit praesentare, potest Episcopus, cui voluerit, conferre beneficium: *c. 3. in Jurep.*

11. Postulatio. *Est facta ab Electoribus Superiori obsecratio, ut ad vacans beneficium, vel dignitatem admittere velit aliquem, qui eligi non poterat ob Canonum impe-*

dimentum , quod non est vitium animae , vel corporis .

12. Electio *est designatio personae capacis ad Praelaturam , vel beneficium vacans , facta per suffragia* . Per eam jus aquiritur ad beneficium , quod sola aquiritur confirmatione , et si quis absque hac confirmatione , se administrationi immisceat beneficii , censetur intrusus , jusque amittit , quod erat per electionem assecutus : *c*. 5. *de elect. in* 6.

13. Electio haec , tripliciter fit . Per *Scrutininm, Compromissum , et Inspirationem* , ut habet . *Later. Conc. IV. c.* 14. Ut autem valeat fas est . primo Ut eligentes sint saltem Subdiaconi , si de virorum electione agatur . *Conc. Trid. sess.* 22. *c.* 4. Secundo , ut omnes vocentur eligentes *de Elect.* 28. Tertio , ut Regulis Canonum servatis , ille eligatur , in quem major , et sanior pars consentit .

14. Confirmatio . *Est concessio Juris in beneficio facta a Superiore , ei , qui electus , vel postulatus est* . Unde ab Institutione , non differt , nisi , quod haec praesentatum connotet , illa vèro electum , vel postulatum . Porro electus debet , secluso impedimento , intra tres menses a notitia electionis acceptatae petere confirmationem , alioquin irrita erit electio . *c.* 6. *de Elect. in* 6.

15. Resignatio *Est spontanea dimissio sui beneficii , facta coram legitimo Superiore , eam acceptante* ; et duplex est . *Simplex* , seu nulla apposita conditione , et fit coram eo , cujus est beneficium instituere , et conferre : *Conditionalis* , quae fit apposita conditione , et haec iterum duplex est , *In favorem* si nempe fiat ex conditione , ut beneficium alteri designato conferatur : Per *Permutationem* , si fit ea lege , ut Resignans a Resignatario aliud accipiat beneficium . Ut autem Resignatio valida sit , et licita , sciendum .

16. Resignatio in favorem , vel sub onere Pensionis , ad hoc ut sit valida , requiritur , ut beneficium sit resignantis , *est enim Resignatio , sui juris cessio* . Quod si resignans ob delictum teneatur dimittere , adhuc resignatio valebit ante sententiam Judicis . 2. ut sit spontanea , non dolo , vi , metu injusto extorta , esset enim , sic , nulla , vel certe annullan-

da. 3. Ut in manus Papae fiat, quia Resignatio in favorem a jure prohibetur *Can. Plerique* 8. *q.* 1. Requiritur 4. Consensus Patroni Laici, si fuerit beneficium Patronatum. 5. Acceptatio Papae. 6 Ut fiat in ejus favorem, cui beneficium est collatum, non alterius. nec aliter. 7. Acceptatio ejus, in cujus favorem fit. 8. Si Resignans sit infirmus, debet vivere 20 Dies a resignatione, alias beneficium censebitur vacare *per obitum* juxta *Regul. Cancell. de Infirmir*: 9. Resignationem in Curia Romana factam, intra sex menses a die supplicationis oblatae computandos, publicare in loco beneficii. Si vero fiat causa permutationis extra Curiam, debet publicari intra mensem, alioquin, si Resignans moriatur, antequam Resignatarius caeperit possessionem, beneficium censebitur vacare por *Obitum*, et collatio facta resolvetur. *Sic. Reg. Canc.*

17. Ut Resignatio, etiam simplex, licita sit, fieri debet ex justa causa, vel bonum Ecclesiae, vel spiritualem Resignantis utilitatem spectante. *S. Pius V. Const.* 58.

18. Ut Resignatio in favorem sit licita, debet fieri ob utilitatem Ecclesiae, quia scilicet alter judicatur aptior. Si enim fiat, vel sanguinis, aut carnis ratione; illicita erit, et si pro aliquo, unius, vel utriusque comodo, symoniaca. Benedectus XIV. *in Const. incip. In sublimi* anullat Resignationes cum Pensione, et pacto, tam cassandi per anticipatas, vel anticipandas solutiones, sicut irritat cassationes, vel extinctiones pensionum intra sex menses, a capta beneficii possessione.

19. Permutatio, hic est, a *Beneficiatis facta beneficii sui in manibus Ordinarii mutua Resignatio. ea lege, quod alterius beneficium alteri conferatur, et vicissim*. Quid requiratur ad Permutationem. v. quae *de Resignat.* sunt dicta. Nunc;

20. Beneficia Ecclesiastica conferenda sunt habentibus qualitates, a *Jure*, *et Conc. Trid.* requisitas, suntque sequentes. 1. Ut promovendus sit ex legitimo Matrimonio, illegitimus enim incapax est cujuscumque Beneficii, nisi dispen-

setur. 2. Ut eligendus sit Clericus, prima saltem initiatus Tonsura, nisi Papa dispensaverit, aut electio fiat ex speciali Spiritus Sancti instinctu. 3. Ut eligendus aetatem habeat a Sacris Canonibus requisitam, qua non servata, electio nulla est, scienterque eligentes paenas incurvunt in Jure statutas. *v. Ætas*. 4. Ut promovendus sit in Celibatus statu, collatio enim facta Matrimonio ligato, invalida existit, immo Clericus beneficium habens, amittit, si matrimonium contrahat. 5. Ut promovendus habeat saltem tantam scientiam, quanta, opus est, ad exequendum officium, ad quod eligigitur. Sunt, et alia requisita, in promovendis necessaria, que inferius patebunt, ubi inhabiles, ad beneficia assequenda, enumerabo.

21. Attendant, hic Electores, sub poena ultimi exitii, beneficia Ecelesiastica nonnisi *dignis*, et idoneis esse conferenda. Quì enim indignum promovet ad quodcumque beneficium, mortaliter peccat: immo in laethalem ruit culpam pariter, ad beneficia minus dignum eligens, relicto digniore. Sic concilia *Trid. Later. Lugd. etc. Metropol.* 19. *dist.* 63. *Sic SS. Bonav. Antonin. S. Thom.* 2. 2. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 3. Sed hoc intelligitur de Beneficio Curato.

22. Ad beneficia assequenda, inhabiles, et incapaces sunt. 1. Haeretici, eorum fautores, Receptores, defensores, nec non eorum filii, usque ad 2 generationem. *c. quicumque de haeret.* sicut, et Schismatici, qui ultra sententias, et poenas a variis Pontificibus inflictas, censentur ipso jure privati quibuscumque beneficiis, et dignitatibus. 2. Incapaces sunt, illa obtinentes, ad preces haereticorum. 3. Excommunicati excomunicatione majori, suspensi, interdicti, et electio, collatio etc. nulla est ipso jure. Si vero conferatur beneficium excomunicato, excommunicatione min., tunc collatio, et electio, non est ipso jure irrita, sed irritanda, per Judicis sententiam. 4. Irregulares, Infames, furiosi, mentecapti, laborantes morbo caduco, spurj, Symoniaci, Clerici uxorati, Pueri ante an. 14. ex *Conc. Trid. sess.* 24. *c.* 12. Filii etiam legitimi Clericorum, nequeunt immediate succedere in beneficiis pa-

ternis. Insuper excluduntur, et filii, et Nepotes, Cardinales offendentium.

23 Pluralitas beneficiorum prohibita est eidem personae, cujusvis dignitatis, etiam si Cardinalatus honore fulgeat *Trid. sess.* 24. *c.* 17. Pluralitas enim benificiorum redditur incompatibilis, vel quia ipsa benificiorum institutio non permittit, vel quia unum eorum ad honestam beneficiati sustentationem sufficit, et qui sine justa dispensatione plura retinet beneficia, peccat mortaliter, estque in statu damnationis aeternae. *Trid. sess.* 2. *c.* 17.

24. Beneficia vacant. 1. per mortem naturalem Beneficiati. 2. Per mortem civilem, ut per ingressum in Religionem, secuta professione. 3. Per renunciationem. 4. Per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis. 5. Per contractum Matrimonii, per Verba de praesenti, etiam non secuta copula, non vero per sponsalia. 6. Vacat ipso jure per militiam Secularem a Clerico Minorista assumptam 7. Per promotionem ad Episcopatum, secuta tamen possessione, et consecratione. 8. Per translationem ad aliam Ecclesiam. 9. Vacat ob invaliditatem electionis, vel collationis; vel per electionis cessationem, vel postulationis repulsionem, vel si electus intra mensem non consenserit, vel intra tres menses non petierit confirmationem. 10. Vacat per aggressionem violentam, vel per alienationem rerum immobilium Ecclesiae, per non ostensionem tituli, vel per depositionem, et privationem, vel per non incedentiam in habitu Clericali; vel per obitum, cum illud resignans, non supervixit 20. dies; vel ob non publicationem resignationis. 11. Vacat, quando beneficium impetratur cum animo resignandi, reservata sibi pensione; vel per Symoniam confidentialem. 12. Vacat propter haeresis Crimen; vel obtentum ad praeces haereticorum; vel falsificantis litteras Apost., vel ob crimen Symoniae Realis, vel assassinj, vel percutientis S. R. E. Cardinalem Episcopum, vel occidentis Rectorem, aut Clericum. 13. Vacat per collationem factam consanguineis, aut familiaribus collatoris, resignantis etc.

Reservatio beneficii, nihil est aliud, *quam alicujus Ec-*

clesiastici beneficii vacaturi per habentem ad illud potestatem, ad se facta avocatio. Ita comm. et hic videndae Regulae Cancell., quoad reservationes, et dispositiones beneficiorum, de quibus diserte eloquitur, inter multos, *Riganti*.

26. Concordata; hic intelligo, illa, que super provisione beneficiorum, in Ditionibus variorum Principum, vacantium, inter Sedem Apostolicam ex una parte, et ipsos Principes ex altera, pro firmiori unione, et pace, hinc inde conclusa, et acceptata fuerunt, ad controversias, litesque tollendas etc. Cumque habeant vim pacti, sunt Religiosissime observanda. Coetera hanc materiam spectantia. *Vide sparsim in opere*.

BENEFICIATUS. Tenetur ad recitationem Divini Officii, quoniam beneficium datur propter Officium *hab. c. quia etc.*, et ad hanc recitationem tenetur, esto beneficium sit tenue, si scienter acceptavit, et contra faciens, tenetur ad restitutionem. v. DOTES *etc.*

2. Beneficiatus Curatus tenetur emittere professionem fidei coram Vicario Generali intra duos menses, a die adeptae possessionis, et sic adepti dignitates, et Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, tenentur et ipsi ad fidei professionem emittendam, non solum coram Episcopo, seu ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. *Trid. sess.* 24. *c.* 12.

3. Tenetur beneficiatus intra annum Ordines recipere suo beneficio addictos, alias caret voce in Capitulo, et dimidiam perdit distributionum partem. Tenetur quoque ad Residentiam personalem, et sub peccato gravi tenetur redditus sui beneficii honestae sustentationi suae, superfluos in causas pias erogare praecipue in pauperes, et juxta multos gravissimos Auctores, erogans superflua beneficii in causas prophanas, nedum graviter peccat, sed ad restitutionem tenetur.

4. Beneficiatus non potest de fructibus beneficii, nec ad causam piam, ullum de Jure facere Testamentum, nec potest vi consuetudinis testari de bonis Ecclesiasticis, in no-

tabili quantitate ad causas prophanas. Sic omnes Auctores. Nec potest sine peccato, bonis Ecclesiasticis suos ditare. *Trid. sess.* 25. *c.* 1. Nec sine peccato redditus superfluos expendere in voluptuosis conviviis, ludis, Theatris, etc. *Conc. Trid. Ibid.*

BESTIALITAS. *Est coitus cum bestia, sive ejusdem, sive diversi sexus*. Est gravissimum scelus, magis dedecens rationalem naturam ad Dei imaginem factam; et diversitas speciei magis repugnat instituto naturae. Ad hoc, congressus cum Daemone revocatur, in hominis, vel Bruti forma, qui praeter malitiam luxuriae contra naturam, est etiam contra virtutem Religionis, propter commercium, et societatem cum capitali hoste Dei.

2. Poenae, quibus plectitur hoc scelus committens, sunt eaedem, quibus Sodomita; idest jure civili poena mortis, et de consuetudine igne comburitur, bona confiscantur, et remanet infamis, testari nequit, si crimen notorium sit, et publicum. Jure Canonico fit separatio Thori: Laicus excommunicatur: Clericus degradatur: Est suspensus, Infamis, irregularis, et ex Constitution. S. Pii V. traditur brachio saeculari ultimo puniendus supplicio: Requiritur tamen ad hoc, ut crimen sit consummatum, multipliciterque factum.

Not. *Sciat opus est Confessarius, pueros ante an.* 14. *non comprehendi sub reservato generatim, sed tamen standum legibus Episcopi*.

BIGAMIA. *Est nuptiarum multiplicatio*. Esto ex vi vocabuli, bigamus sit, qui bis contraxit; bigamus quoque dicendus, qui, ter, quaterve, nuptui se dedit.

2. Bigamia triplex est. *Vera*, *Interpraetativa*, *Similitudinaria*. *Vera* illa est, cum quis plures duxit successive uxores, et legitimas, actu consummato. *Interpraetativa* est cum quis viduae nubit; cum ducit ab aliis laesam, cum uxorem cognoscit prius adulteram: *Similitudinaria*, est, si Clericus sacris onustus Ordinibus, de facto Matrimonium contrahat; si Laicus, uxore vivente, aliam ducat.

3. Bigamiae poenae sunt tres. 1. Quod bigamus non po-

test ad Ordines promoveri. 2. Non potest, nec benefioia obtinere, neque Ecclesiasticas pensiones. 3. Si est Clericus, et ex bigamia incurrit irregularitatem, amittit privilegium fori, et Canonis, et beneficiis spoliatur, atque pensionibus. In bigamia, solus Pontifex dispensare potest.

BLASPHEMIA. *Est contumeliosa locutio in Deum*, seu contumeliosa de Deo affirmatio, vel negatio. Comm. cum *S. Thom. 2. 2. q. 13. a. 1. in corp.* Haec potest esse, vel *immediata*, Deum in se ipso attingens, vel *mediata*, Sanctos respiciens, quae et ipsa in Deum redundat.

2. Quadrupliciter committi potest. 1. Cum De Deo negatur quod ei convenit, ut, *Deus non est justus etc.* 2. Dum quis Deum detestatur dicens *sit maledictus etc.* 3. Dum contumeliose loquitur de Virgine Beata, de Sanctis, Sacramentis, rebus sacris etc. 4. Dum quis, non affirmans, vel negans, aut detestans, aut increpans, per iram, et despectum, injuriose, probrose, Dei atributa nominat, ut, *Poter di Dio, Cospetto di Dio, Sangue, Corpo di Cristo etc.*

3. Duas cum S. Thom. cognosco praecipuas blasphemiae species. Una *haereticalis*, altera *simplex*. Prima est illa, quae cum haeresi conexionem habet, ut cum dicitur *Deus est injustus, etc.* Simplex postea illa est, quae non famulatur haeresi, ut. *In contemptu Dei volo hoc, et illud facere*, vel detestative, ut, *sit maledictus Deus*; vel imprecative, ut, *Pereat Deus*, vel juratorie, ut, *Pereat Deus, si non est ita*. Ad simplicem blasphemiam reducuntur, et signa, et facta contumeliosa contra Deum, vel imagines etc. ut, spuere in Coelum, in Imagines etc.

4. Blasphemia quaelibet, deliberate commissa, est peccatum mortale. Comm. *cum S. Thom. 2. 2. q. 13. a. 2. in corp.* Peccatum inquam mortale est, etsi joco prolata, dummodo advertenter, et deliberate; vergit enim in diminutionem honoris Dei etc. Sic prolata ex habitu, indignatione; ira etc. S. Thom. *ibid.* Si vero blasphemans, id agit indeliberate, inadvertenter etc., non peccat graviter. S. Thom. *ibid.* Habens talem habitum tenetur sub gravi, se emendare.

5. Blasphemiae poenae. In lege veteri erat poena mortis; hodie, aliae sunt de Jure Canonico, aliae de Jure civili. De Jure Canonico poena blasphemantis, si sit Clericus, est depositio ab Officio, et Statu Clericali; si Laicus est excommunicatio ferenda. Leo X., aliique Pontif. cum S. Pio V., imposuerunt etiam poenas pecuniarias, afflictivas etc.

6. Judex competens blasphemiae haereticalis est solus Ecclesiasticus, idest S. Inquisitionis Officium, cui, quisquis blasphaemum audiens, debet denunciare. Judex vero competens simplicis blasphaemiae, potest esse Ecclesiasticus, vel Saecularis, cum talis blasphemia sit mixti fori.

BONA CASTRENSIA. v. PECULIUM n. 2.

BONA ECCLESIASTICA. Hoc ipso, quod sunt Ecclesiae, sacra sunt, nec possunt, nisi in usus a Deo, vel Ecclesia destinatos adhiberi. Haec, sine justa causa, et debita solemnitate, alienari non possunt. *Trid. sess.* 25. *c.* 11. S. Urbanus PP. et Martiris de bonis Ecclesiasticis scripsit. *Ipsae res Fidelium, quae Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos et christianorum fratrum, vel indigentium converti; quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.*

BONA VACANTIA, quae aliquis ab intestato decedens reliquit sine haeredibus, qui secundum legem ei succedant, restitui debent Fisco, ad quem spectant. *l.* 4. *Cod. bon. vac.* v. ECCLESIAE BONA.

BONA MOBILIA. Peregrinorum in pios usus per Episcopum impendi debent. *Authent. Peregrini.*

BONA DERELICTA, vel quae numquam Dominum cognoverunt, jure naturae, et gentium sunt Inventoris, nisi aliter leges speciales statuant. Bona autem derelicta sunt, quae Dominus ex animo abjecit, et sua esse noluit.

BONA INCERTA, quorum Dominus, vel haeres, cognosci aut, inveniri nequit, post diligentem perquisitionem, quae prudenti judicio sufficiat, impendi debent in pauperes, vel pios usus. *Cathech. Rom. S. Thom. et alii*, Hoc vero intelligendum est de Jure imperfecto, seu Beneficentiae,

non de Jure perfecto justitiae, cum enim tales rès non sint pauperum, nullo jure profecto, cogimur pauperibus dare. Poenitentes ergo, ad id consulendi sunt, nisi cum urget eleemosynae praeceptum.

Not. *Pauper, vel Pius locus, cui bona incerta erogata sunt, tenentur ea restituere Domino comparenti, si adhuc extent in se; vel aequivalenti, quia donatio sub tacita conditione fuit facta.*

BONA HAERETICORUM, bona damnatorum propter haeresim, ipso jure, et omni spe, potiundae haereditatis filiis adempta, intelliguntur confiscata: Si fuerit Clericus, Ecclesiae, cui adhaesit, et stipendia recepit, adjudicabuntur. Confiscationis executio, vel bonorum occupatio locum habet solum lata sententia.

Not. *Ob haeresim mariti, non est confiscationi subjecta dos uxoris, nisi scienter cum haeretico matrimonium contraxerit. Bona haereticorum confiscantur etiam post mortem.*

BONA SERVI, qui libertatem nactus, et ad Sacros promotus Ordines, si intestatus decesserit, nihil olim Dominus de bonis ejus vindicare potest, sed ejus peculium in 4. partes dividetur. Una Episcopo, altera Ecclesiae, Pauperibus tertia, et quarta parentibus, quibus deficientibus, Episcopus assumat, et in Ecclesiae usum, scrupulose convertat.

BONUM EXEMPLUM. Quilibet homo tenetur aliis bono exemplo praelucere. Sic hab. *Joan.* 13. *et D. Thom.* 1. 2. *q.* 34. *a.* 1., et aspernans non vacat culpa.

2. Hinc Superior Politicus, strictius, quam privatus, tenetur exemplo praelucere; quibus praeest, talis est enim, vulgo, populus, qualis Superior, et caput. *Eccles.* 10. *v.* 2.

3. Hinc Superior Ecclesiasticus strictius tenetur, quam Politicus, exemplo, quibus praeest, praelucere. Christus enim Pastorum exemplar, caepit prius facere, et docere. v. PASTOR *etc.*

BULLA, BREVE: Horum nomine veniunt illae Pontificiae litterae, quae in subtilibus, et candidis Membranis,

charactere latino, nitido, eleganti, intelligibili, sunt descriptae, et non sigillo plumbeo, sed Cera rubra cordulis lineis inclusa, annulo Piscatoris sunt signatae, ac manu Secretarii subscriptae. Tales litterae, seu Apostolica Brevia annulo Piscatorio signantur ab insculpta imagine S. Petri, eo modo, quo a Navicula in mari piscabatur, talique annulo ipsum Sanctum usum fuisse. Hic caute servatur ab intimo Papae Familiari, post cujus mortem frangitur mox per Cardinalem Camerarium

2. Nomine *Bullae* veniunt illae Pontificiae literae, quae sub plumbo expediuntur, seu sigillo plumbeo, pendente ex cordulis conscriptae in membrana magis nigra, et rudi, atque antiquo charactere Gothico. Si talis Bulla expeditur in materia gratiae, Sigillum plumbeum pendet ex corda serica: Si vero in materia justitiae, ex corda canaba: Hoc sigillum conservatur in Vaticano Palatio, et post Pontificis mortem rumpitur.

3. Bullae, et Brevia, inter se differunt, quia Brevia a Curia Romana expediuntur per Secretariam Apostolicam sub annulo Piscatoris. Bullae vero expediuntur per Cancellariam Apostolicam sub Sigillo Plumbi, quod est ultimum Bullae complementum.

4. Brevia Apostolica rite confecta, tantam vim habent in illis materiis, in quibus conficiuntur, quantum habent Bullae in ceteris materiis, conveniuntque in effectu cum Bullis.

BULLA COENAE. v. EXCOMMUNICATIO.

BULLA CRUCIATAE. Definitur, quod sit Diploma, seu Breve Pontificium, continens gratias multas Christifidelibus concessas, sive per pugnam, sive per pia opera, sive per eleemosynam ad bellum contra infideles, et haereticos concurrentibus. v. *la Croix*, *Felic. Potest.* qui fuse tractant.

C

CADAVER. Canonistae diffuse hanc tractant materiam, sed mihi attigisse satis. Cadaver nequit aut sepeliri, aut reponi sub Altari, gradibus, aut Bradella, secus in illo Altari celebrari nequit, quoadusque exhumetur. *S. Congr. Ep. et Reg. in Interamn.* 14. *Settembris* 1595.

2. Cadavera pauperum fidelium, gratis omnino tumulari, et sepulturae tradi debent. Nec proiberi potest, ne Cadaver sepeliatur, occasione juris sepulturae, cum Christianae repugnet Charitati, ut ob pecuniae interesse, cadaver insepultum remaneat.

3. Cadavera in quacumque hora diei possunt deferri ad Ecclesiam, de nocte vero cum licentia Ordinarii, et quoad tempus humationis servandam Synodum. Insuper Cadavera sepelienda non esse privatim, sine lumine, Cruce, et Parocho.

4. Parochi, pauperum Cadavera GRATIS sepelire tenentur, sciantque, Sacris Canonibus incunctanter interdici, ne quis temerario ausu, terram, pro sepulcro vendere, aut pro hominibus sepeliendis, quoquo modo munera exigere audeat, nisi forte sepeliendus, Ecclesiae, in cujus atrio sepelitur, aliquid vivens tradi jusserit, aut post mortem, ipsius parentes, vel haeredes, pro luminaribus vel eleemosyna, aliquid ultro dare voluerint: quo casu, sponte oblatum licite poterit repeti: peti vero, vel exigi est omnino *vetitum*, ne aut venalis dicatur Ecclesia, aut Clerici hominum interritu gaudere videantur, si ex illorum cadaveribus studeant habere compensum, nec obtentu cujusquam consuetudinis, nisi pia, et laudabilis fuerit, reatum suum quis excusare poterit. Diffuse *Canonist. et Rit. Rom. ubi de Exequiis*.

CADUCITAS. Non incurritur, dum haeres non adimplet conditionem propter meram impossibilitatem. Pontifex remisit eam aliquando, modo non tolleretur jus quaesitum.

CALIX. Consecratus, iterum inauratus, an indigeat nova consecratione? Utraque sententia probabilis est, sed affirma-

tiva communior, in praxi usitatior, et tutior, et etiam probabilior. *Diana* 2. *tract.* 15. *resol.* 3. Calix non consecratus, in quo quis bona fide celebravit, an egeat alia consecratione, negat Diana; affirmat Lugo, cum quo sentio, et ego,

CALUMNIA. *Est falsi criminis, aut defectus impositio*; et est species detractionis omnium gravissima ex genere suo cum superaddat detractioni generice scumptae, mendacium perniciosum. Est mortale peccatum quia contra justitiam; quia proximus injuste laeditur in fama divitiis praestantiore, et ad quam nullum jus habet calunniator. *S. Thom a.* 2. *q.* 73. *a.* 3.

2. Fama injuste ablata, integre restitui debet apud eos omnes, apud quos fuit ablata, hoc enim exigit incorrupta justitia. *Restitutio* inquit D. Thom- et cum eo omnes *DD.* *est actus justitiae commutativae, quae in quadam aequalitate consistit, et ideo restituere importat redditionem illius rei,quae ablata est. Cum ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis; consequens est, quod restituere id, quod injuste ablatum est alicui sit de necessitate salutis.* *V.* RESTITUTIO.

CAMBIUM. Defin. *Negotiatoria permutatio pecuniae pro pecunia*. *Ideo*, qui dat pecuniam ad cambium, vocatur *Campsor*, *Collibysta*, *Nummularius*, *Bancheroctus*, qui vero recipit, dicitur *Campsarius*.

2. Cambium, duplex est. *Reale*, et *Siccum*. Reale illud est, quo pecunia realiter cum alia permutatur pecunia, et hoc pariter duplex est, seu Cambium reale minutum, sive manuale, et Cambium reale locale, seu per litteras. Cambium minutum, sive manuale est, quo pecunia minor praesens, cum alia majori pariter praesente commutatur, vel e converso, ut cum permutatur moneta argentea, patria cum extera, nova cum vetere, etc. et e contra. Hoc cambium licitum est, cum moderato lucro, secundum usum regionis, ratione laboris, incommodi etc. Cambium locale, seu per litteras, est, quo pecunia praesens a Campsario commutatur cum pecunia absente, sibi in alio loco solvenda, mediante Campsoris syn-

grapha, et hoc quoque est licitum cum moderato lucro, ratione laboris incommodi etc.

3. Cambium *siccum*, est, quando fingitur solutio facienda alibi, sed revera fit in eodem loco cum usura; Dicitur siccum, quia caret justo titulo ad pariendum lucrum et hoc damnatum fuit ab Urbano III. a S. Pio V. et aliis.

4. Cambii usus ex duplici fine lucrandi videtur inductus, scilicet ob publicum Reipublicae commodum, et ob privatam Campsorum utilitatem, et ex utroque fine est licita Cambiorum negotiatio, quae licite quoque exerceri a qualibet persona privata potest. *Navar. c.* 17. *n.* 288. et alis.

5. Adest, et Cambium obliquum, quod *ait Card. de Luc. in Sum. de Cambiis n.* 16., sub se tres occultat contractus, *Mutui* scilicet, *Mandati*, *et Cambii*. Ille siquidem, qui pro aliis usibus, vel indigentiis pecunia indigeat, eam mutuam suscipit, ideoque primus est contractus mutui. Quia vero mutuator illam otiosam retenturus non est, sed in istam cambiorum negotiationem. Hinc mutuatarius, ut mutuatorem etiam ex justitiae legibus indemnem servet ab eo lucro, quo ex licita cambiorum negotiatione mutuatae pecuniae obtenturus esset, eidem mutuatori facultatem tribuit, ut ab aliis, vel etiam a se ipso, tantumdem, sive aequivalentem summam, sub cambiis suscipere, et ratificare valeat, sive idem mutuatarius istud onus in se suscipit; ideoque, non in ipsa mutuata pecunia, sed in alia aequivalenti cambium ineundum est, ac propterea ultra primum mutui contractum, alii duo occultantur, ille scilicet *Mandati*, et alter ipius Cambii, quod in mandante executionem ineatur, vel pro inito in odium mandatarii susceptum mandatum non adimplentis, haberi debeat, ut ad damna, et interesse, ut supra, obligatus remaneat. Quid de hoc contractu sentiendum sit in foro interno, vid. Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. l.* 10. *c.* 5. *n.* 10. In foro externo communiter probatus est.

CAMPANAE in Ecclesiis introductae fuerunt a S. Paolino Episcopo an. 410. Campanarum usus ponitur in Dysticho Gloss. extrav.

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum
Defunctos ploro, Pestem fugo, Festa decoro.

CANONES FIDEI in Conciliis expressi, sunt omnino invariabiles, quia invariabilis est fides, quam explicant. Deus enim non potest opposita revelare *v. g.* hodie revelare, quod sit Trinus, postea declarare, quod non sit. *Canones*, inquam, *fidei*, invariabiles sunt, quoad circumstantias temporis, loci, personarum, ita ut numquam in illis contingere possit variatio, nisi quoad expressionem, quia doctrina Fidei, et morum venit ad nos non documento humano, sicuti scientiae humanae, sed a revelatione Dei, qui, uti infinite sciens, non potest nova cognoscere, et utpote invariabilis, non potest rebus jam revelatis contradicere, et sic posteriores *Canones fidei*, et *morum* non possunt prioribus contradicere, vel derogare, sed solum eos explicare sic *unitas Personarum* in Divinis ante Concilium Nicenum exprimebatur, quod *Personae* essent *quid unum*, post Nicenum vero, quod essent *consubstantiales etc.*

CANONES MORUM sunt pariter invariabiles, quia. 1. Praecepta Decalogi, quae explicant, variari nequeunt, jubent enim, quod est ab intrinseco bonum, et vetant, quod est ab intrinseco malum. 2. Praecepta Evangelica, quae exponunt, sunt pariter invariabilia; quia Legi Evangelicae, non debet alia lex succedere, ut docet passim *Scriptura*, et *Paulus ad Gal. c.* 1.

CANONES DISCIPLINAE sunt variabiles; sicut enim Politia Saecularis varia est, juxta diversas, tum loci, tum temporis, tum personarum differentias, ita et Politia, seu Disciplina Ecclesiastica. Regulae Canone - civiles, non plus habent firmitatis, quam leges civiles, cum eo fine constituantur, ut jus civile in suo robore permaneat.

2. Canones disciplinae, ea etiam parte, qua sunt variabiles mutari non debent privata auctoritate, sed solum auctoritate Ecclesiae, vel decernentis eam mutationem, vel eam justis de causis permittentis, et sola Ecclesia ha-

bet super hoc auctoritatem. Canones disciplinae tamdiu vigent, quamdiu statuit Ecclesia, vel poenas novas, vel statutas comminatur; tunc vero vigere desinunt, cum Ecclesia contrariam statuit legem, aut usum contrarium, non reclamando, permittit. Sic praeceptum recipiendi quater in anno Eucharistiam, mutatum est in praeceptum recipiendi semel in anno. v. PROLEGOMENON. MANTISS. II.

CANONES POENITENTIALES utiliter in multis Synodis sunt impressi, ut Confessarii ea addiscant, et poenitentes moneant quanta olim poenitentia, pro quibusdam criminibus imponeretur. Canonum Statuta ab omnibus custodienda, potissimum autem ab Episcopis, qui sunt Custodes Sacrarum regularum, quique in sui consecratione, se ad id arctissimo obstringunt juramento. *Bened. XIV. de Synod. Dioec. l. 7. c. 65. n. 1.*

CANONICA PORTIO. Ex Canonistis illa est, quae de relictis, et proventibus Ecclesiae obvenientibus, detrahitur, et Praelatis debetur, et Duplex est. *Parochialis*, et *Episcopalis*.

2. Parochialis illa est, quae Parochiali Ecclesiae, vel ipsius Curato, et Rectori debetur, ut, si quis in alia Ecclesia, quam in propria, tumulum seligat, ne Rector Ecclesiae propriae debito fraudetur suffragio, statutum est, ut Curatus de his rebus, quas Defunctus Ecclesiae reliquit, in qua humari voluit, quartam partem, percipiat, aut aliam, quam legitima consuetudo praefixerit.

3. De his quae, quis vivens, et sanus contulit alicui Ecclesiae, Curato non debetur canonica Portio: secus autem, si infirmus, et ex eadem decedens infirmitate.

4. Canonica Portio solvitur Ecclesiae, in qua quis Divina percipit, etsi duo habuerit domicilia, inter Ecclesias duorum domiciliorum dividetur.

5. *Nota* Sunt quaedam relicta, ex quibus Canonica Portio detrahi non est fas: ut si quid pro fabrica, pro luminari, Anniversario, pro equis, armis, contra infideles exer-

cendis, vel alias ad perpetuum Divinum Cultum, vel particulari personae legantur, de quibus omnibus, fraude detracta, hujusmodi portio non habet locum, nec detrahi debet.

6. *Canonica Episcopalis portio*, illa est, quam detrahit Episcopus de relictis pro anima, quam Testator prohibere nequit, et ubi eadem ratio, eadem debet esse Juris dispositio. Nam sicut Parochialis Ecclesia pro labore, et cura, quam gessit, animarum certam detrahit portionem de relictis alteri Ecclesiae, in qua quis sibi elegerat Sepulturam, sic et ipsi licebit Episcopo, nisi sibi obstet quadragenaria praescriptio, curae Pastoralis intuitu, quam Dioecesi superintendens suscipit de relictis, et pro anima cujuslibet, Ecclesiae relictis, et oblatis, canonicam sumere Portionem, etiam si dixerit Testator, quod non Episcopo velit esse relictum, sed tantum Ecclesiae; cum privata Testatoris dispositio generalem Canonum dispositionem nequeat immutare.

Nota. *Ecclesiae debetur Canonica Portio de relictis Episcopo, quam tamen potest Testator prohibere: Si quid simpliciter Episcopo relinquat Conjunctus in dubio, Ecclesiae non debetur canonica Portio; secus autem si ab extraneo; Si quid conjunctim ligetur Ecclesiae simul, et Episcopo fit inter ipsos divisio, esto Testator hoc reliquerit Episcopo, illud Ecclesiae, nisi stare velint Testatoris voluntati, quod ob favorem ultimae voluntatis conceditur. Cum Ecclesiis inferioribus Episcopus non dividit sibi relictum, sed bene detrahit quartam de relictis Ecclesiae. sed V. Canonistas.*

CANONICUS V. RESIDENTIA.

CANONIZARE. Praxis Sacrae Rituum Congregationis pro Beatificatione, vel Canonizatione: Non potest de hoc tractari, nisi post 50. annos a morte Servi Dei, et tunc non nisi ex speciali Summi Pontif concessione. Interim tantum conceditur quod Ordinarius instituere possit Processus in genere ad examinandum, an concedi possit instructio Processus in specie, ne occasione dilationis pereant probationes.

2. Processus in specie trasmittendi sunt ad Apost. Sedem in

S. R. Congregatione examinandi quoad ipsorum validitatem tantum.

3. Deinde absque processu ad ulteriora, sigillandi Sigillo eiusdem S. C., et asservandi usque ad prefinitum tempus, examinata prius vitae Sanctitate.

CANONIZATIO. Solemnis Sanctorum initium habuit an. 985., sub Pontificatu Joannis XV. qui Sanctorum albo adscripsit S. Udalricum Ep. Auspergensem.

CAPPELLANIA. Alia est *Mercenaria*, alia *Collativa* alia *Gentilitia*. *Mercenaria* illa est, quae ita instituitur, ut non conferatur Sacerdoti in titulum, sed eligatur ad implendum munus a Testatore impositum, ita tamen ut possit ad nutum Haeredis amoveri. Dicitur etiam *Manualis*, *revocabilis* etc.

2. *Collativa*. est illa, quae confertur in titulum, et quam Episcopus confert, et quamvis nominatio ad eamdem possit esse a laico,non potest tamen Testator apponere conditionem,quod Episcopus non se intromittat etc.

3. *Gentilitia*, seu *Juspatronatus*, est ejusdem rationis cum Collativa, hoc solum adjecto. ut ad haeredes, seu vocatos a Testatore, pertineat jus nominandi, servatis servandis:

4. Ad titulum *Cappellaniae mercenariae*, nequit quis ordinari, nisi Patronus, simul et Episcopus consentiant, conferentes in titulum vitalitium etc.

CAPPELLANUS tenetur per seipsum Missas celebrare, si id expressis verbis, aut aequipollentibus fuerit cautum in fundatione Cappellaniae. Quod enim in ipsa erectione Cappellaniae constitutum, et dispositum est, id omnino est observandum *Trid. sess.* 25. *de reform.c.* 5.

2. *Monialium Cappellanus* debet esse maturae aetatis, ubi major praesumitur probitas. In Ecclesiis Monialium, Regularibus subjectarum, approbatur a Superiore Regulari. Cappellanus Monialium exemptarum, excluso Parrocho, omnia Sacramenta, etiam in articulo mortis ipsis administrat, ita ut loco Parochi habeatur. Idem dicendum de non exemptis, ut, cum multis tenet *Tambur. De Jur. Abb. disp.* 35. *q.* 4.

3. *Cappellani militum*, *Exercitus*, *vel Castrenses*, in casibus, in quibus non adsit Breve Apostolicum aliter disponens, debent approbari ab Ordinario, non autem a Cappellano Majori Regio.

CAPITULUM. Capituli appellatione soli Canonici continentur, non Beneficiati, qui non debent se ingerere in administratione massae communis; Et sic dicendum de Portionariis, nisi aliter vel statuto, vel consuetudine sit cautum.

2. Capitulum in Processionibus debet incedere unitum absque ullo laicorum intermedio: Feltre 13. Maj. 1588. Imo nec in Choro debent interferri Archipresbyteri, sive Curati, quia non sunt de gremio.

3. Capitulum, Sede vacante, succedit in jurisdictionem Episcopi, quam exercet per Vicarium Capitularem: Insuper potest concedere Dimissorias, si Episcopus sit haereticus notorius, quia in tali casu Concilium nihil innovavit. *Ex Cap. Concilii*. Haec ratio eumdem habet vigorem, dum Episcopus est captus ab hostibus, immo a fortiori, si tamen illa declaratio est vera.

4. Dona, seu reditus Capitulares exigi debent a duobus Deputatis, alter ab Episcopo, alter a Capitulo.

5. Sacra Congregatio dat licentiam dividendi bona Capitularia, dummodo relinquatur massa non minor tertia parte pro distributionibus quotidianis. Imo Capitulum id potest facere propria auctoritate.

6. Quamvis Episcopus non se debeat ingerere in administratione bonorum Capitularium, nisi,ut supra,alterum ex deputatis eligendo; Capitulum tamen tenetur ei dare authenticam notam. S. Congr. 8., Julii 1577. 2692. 23. Julii.

CAPTIVITAS, jure Belli. v. MODI ACQUIRENDI DOMINIUM n. 8.

CARDINALES S. R. ECCLESIAE. v. *Panvinium*, *Platinam etc.*

CASTITAS. *Est virtus, quae appetitum moderatur venereum secundum rectam rationem, et legem Divinam;* et triplex est. *Virginalis*, *Conjugalis*, et *Vidualis*.

2. Prima, est constans voluntas abstinendi toto vitae tempore ab omnibus venereis: Secunda, est constans voluntas abstinendi ab omnibus venereis, cum non conjuge, et iis cum propria Conjuge utendi juxta rectam rationem, et legis Divinae regulam. Tertia est propositum abstinendi imposterum, propter Deum, ab omni actione, et delectatione, in conjugio percepta. v. PUDICITIA *et alibi*.

CASUS RESERVATUS. Pontifex in toto orbe, Episcopus in sua Dioecesi, Praelati Regulares in suis subditis, possunt sibi reservare peccata. *Casus Papae reservati* sunt 20. in Bulla Coenae contenti, et ulterius sequentes. 1. *Violatio Clausurae Monialium ad malum fine m*. 2. *Percussio gravis Clericorum*. 3. *Simonia realis*, scienter contracta. 4. *Confidentia Beneficialis*. 5. *Monomachia*, sive *Duellum*. 6. *Extractio reorum ab Ecclesia, sine Episcopi licentia*. 7. *Absolutio a Reservatis Papae*, et *Episcopis*, absque *licentia*, in quibus omnibus incurritur Excommunicatio.

2. Difficile, et arduum est statuere, quos, et quot casus sibi reservent Episcopi. praecipuos tamen esse dicimus. 1. Illos omnes, qui in Synodali Constit. vel particulari Edicto sibi reservant. 2. Percussionem levem Clericorum, et etiam gravem, quoties percussor Papam adire nequeat, aut ejus Legatum. 3. Casus, et Censuras Papales, cum factum, et delictum est occultum. *Conc. Trid: sess. 24. de Res. c. 6.* Excipitur tamen homicidium voluntarium, delicta ad forum contentiosum deducta, item crimen haeresis, irregularitas ex delicto, etiam occulto proveniens. 4. Excommunicationes majores, a Canone ipso jure inflictas. 5. Crimen incendiariorum. 6. Relaxationem Juramentorum, et votorum commutationem.

3. Episcopus potest absolvere a reservatis Papae, non valentem accedere ad Sacra Limina. Haec est probabilis, sed negativa magis tuta.

4. Accedentem cum Reservatis, vel Papae, vel Episcopo posita justa causa, quilibet Confessarius debet a non reservatis ab-

solvere directe, in directe a reservatis donec. eto. Arbitri aliqui laxam vocant hanc doctrinam. Sed indebite.

CELEBRATIO MISSAE. Qualibet die, exceptis Parasceve, et Sabbato Sancto, in quo unica Missa solemnis in singulis Ecclesiis celebrari potest,ut constat ex praxi Ecclesiae, licet celebrare.

2. Hora celebrandi est, ab Aurora ad Meridiem, juxta Ecclesiae consuetudinem, et S. Pii V. Const. *Sanctissimus*, Excipitur Missa Nativitatis Domini, quae celebratur media nocte, casus necessitatis, consuetudo legitima, praescripta, vel saltem approbata.

3. Jure comm. debet celebrari in Ecclesia, vel alio loco, ab Episcopo Consecrato, vel saltem auctoritate ejus benedicto. Dixi jure communi, nam ex privilegio fas est celebrare in castris pro exercitu, in littore maris pro navigantibus etc. Debet celebrari, in Altari lapideo ab Episcopo, aut ex concessione solius Papae, ab alio Sacerdote consecrato *V*. ORNAMENTA ALTARIS *etc*.

4. Ad Missam celebrandam omnes tenentur Sacerdotes festis solemnioribus anni. Parochi tenentur, vel per se, vel per alios singulis diebus, quibus opus est, ut satisfaciant muneri suo, et insuper ad eam applicandam pro populo quotidie, si redditus sint pingues: sint autem tenues, tenentur saltem diebus festis ex declar. *S. Congr. Conc.* 10. *Maj.* 1681. Ceteri vero, qui habent, beneficium, cappellaniam, stipendium tenentur applicare juxta impositam obligationem V. *Bened. XIV. Cum semper* par. 7.

CELIBATUS v. ORDO.

COEMETERIA inceperunt esse in locis sacris annoChristi 200. nam antea Cadavera humabantur in viis publicis, et probatur ex illis verbis, quae in tumulis, vel tabulis marmoreis leguntur. *Aspice*, *siste*, *Viator*.

CENSURA. Est *Ecclesiastica medicinalis poena*, *privans primario quibusdam spiritualibus bonis*, *dispensationi Ecclesiae commissis*. Dividitur. *In excommunicationem*, *suspensionem*, *et Interdictum c.* 20. *de verb. signif.*

2. Censura alia est *Jure*, seu *a Canone*, alia *ab homine*. Prima est illa, quae per Leges, et Statuta perpetua lata est, unde in Canonibus, Decreti Pontif. vel Statutis Episc. continetur. Censura vero ab homine est, quae fertur ab aliquo singulari Superiore per transitorium praeceptum, vel judiciariam sententiam, estque vel generalis, quae generice, et indeterminate fertur in aliquos v. g. Clericos: vel particularis, quae certam, ac det erminatam personam respicit.

3. Censura a jure non cessat morte legislatoris, bene vero illa ab homine expirat, expirato Superiore, aut ejus amotione, si eveniat priusquam contrahatur; sed jam contracta, manet per ejus mortem, usque dum absolutione tollatur.

4. Alia est *latae sententiae*, alia *ferendae*. Prior est, quae ipso facto contrahitur absque ulla Judicis sententia. Posterior contrahitur, per Judicis sententiam, diciturque Comminatoria. Ad hanc dignoscendam, verba, quibus fertur sententia, perpendantur. Hinc censura erit *latae sententiae*, si istae adhibeantur voces. *Ipso jure*, *ipso facto* *et tunc*, *illico*. *etc.* Erit postea ferendae, quoties verba exigant Judicis sententiam, seu actionem, ut decernimus, suspendetur, excommunicabitur etc.

5. Ad contrahendam censuram requiritur 1. Culpa mortalis ex c. 9: *Nullus*. 2. Ut sit externa, et quidem mortalis secundum opus externum: siquidem Ecclesia de iis solum fert censuras, super quibus judicare potest. 3. Ut sit contra Ecclesiasticum praeceptum, et cum aliqua contumacia, idest contemptu virtuali, et interpraetativo.

6. A censura excusat 1. Omne id, quod excusat a culpa, quia super culpabili transgressione cadit censura. 2. Ignorantia invincibilis, etiam solius Ecclesiasticae legis, sive sit facti, sive juris; non autem ignorantia crassa, et supina, qua quis ignorat, quod scire tenetur, et quod quisquis ejusdem status, et conditionis scit.

7. Censura est invalida. 1. Defectu Jurisdictionis. 2. Defectu Ordinis substantiali Judicii. 3. Defectu culpae mortalis. In dubio tamen justitiae Censurae, constat hanc servari debere etiam in foro conscientiae, donec a Superiore

irrita declaretur, et inanis: in dubio enim tutior eligenda pars. Esto censura sit injusta, semper tamen timenda est.

8. Ut censura ab homine licite feratur, opus est. 1. Ut trina praecedant monitoria cum suis intervallis. 2. Ut fiat in scriptis, et censurae ratio indicetur. E contra vero ad Censuram a jure, sufficit, ut Lex sit promulgata.

9. Censura ligatur homo viator baptizatus, usu rationis praeditus, subditus ligantis etc.

10. Censura ab homine non potest tolli, nisi ab illo, qui inflixit, vel ab ejus Delegato, aut Successore. Ab excommunicatione non reservata, nec ad Forum contentiosum deducta, absolvere potest quilibet Confessarius, et hoc ex consuetudine et ex *c. Nuper*. Excommunicatio vero a Jure, non est reservata, cum in Canone non exprimitur, nec in Statuto, ideoque in mortis articulo Sacerdos absolvere potest quoslibet poenitentes a censuris, et quibusvis peccatis.

Not. 1. *Incarceratio, exilium, servitus, flagellatio, beneficii privatio, et poenae corporales inflictae per Judicem Ecclesiasticum non sunt censurae, quia non sunt poenae spirituales, non enim haec est potestas, quam dedit Christus Sacerdotibus, qui discipulos suos noluit habere virgas.* 2. *Depositio, et Degradatio non sunt Censurae, quia non sunt poenae medicinales, cum infligantur ob praeteritum peccatum, et aliquando emendatum.* 3. *Cessatio a Divinis non est censura, quia non infligitur per modum medicinae, sed quasi per modum defensionis ad propulsandam injuriam Ecclesiae illatam.* 4. *Irregularitas non est censura, quia est inhabilitas Canonica.* 5. *Punitiones, quas Ecclesia exercet contra non baptizatos, non sunt censurae, quia illi non sunt Ecclesiae subditi.*

Not. 2. Possunt infligere Censuras. 1. Summus Pontifex in universa Ecclesia, est enim Judex omnium fidelium, ut docet *Can. Cuncta per Mundum : cap.* 5. *q. tertia*. 2. Ecclesia in Oecumenico congregata Concilio in omnes Christifideles. 3. Cardinales in suis Titulis, ut dicitur *Extra c. Hisque pro Ecclesia* 4. Episcopi, Archiepiscopi, Primates in suis Ec-

clesiis et Dioecesibus. 5. Vicarii Archiepiscoporum, Episcop. Primatum, quia idem est Tribunal, ut legitur *c. Romana in* 6. Concilium Provinciale in tota Metropoli, Dioecesanum in tota Dioecesi, ut habetur *Extra c. Grave nimis de Praebend*. 7. Vicarii Capitulares, Sede vacante, quia habent auctoritatem Episcopalem, ut innuit *Trid. sess.* 24. *de Ref. c.* 16. 8. Superiores Religionum approbatarum a Sede Apostolica, quia habent auctoritatem contentiosam in suos Religiosos, ut dicitur *Extra c. cum in Ecclesiis de Majoritate, et Obedientia*.

Not. 3. Faemina, Laici, Archidiaconi, simplex Sacerdos aut Parochus, non possunt ferre censuras, quia Jurisdictionem contentiosam non habent, ut ait Conc. *Trid. sess.* 25. *de Reform. c.* 3. *vid.* EXCOMMUNICATIO *Not.* 1.

CENSUS. Est *jus percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera, sive illa pensio sit fructuaria, sive pecuniaria* et ideo, qui pensionem solvit *Censuarius*, qui exigit, *Censualista*, nuncupatur. Praecipue census divisiones sunt. 1. Dicitur Census *Reservativus*, cum nempe traditur dominium utile rei, cum reservatione annuae pensionis, et in effectu est Emphiteusis, locatio ad longum tempus, venditio cum onere etc. 2. *Consignativus* cum quis alteri vendit jus percipiendi pensionem annuam super rebus, aut persona sua, et hic triplex est. *Realis*, qui fundatur in re, domo etc. *Personalis*, qui ponitur in Persona, ejus industria; arte etc. *Mixtus*, qui in re, et persona simul sistit.

2. Item Census, alius est *Fructuarius*, alius *Pecuniarius* alius *Perpetuus*, alius *Temporarius*, alius *Vitalitius*. alius *ad tempus*.

3. Ad justitiam census; aliae sunt conditiones necessariae, ex natura rei, seu Contractus: aliae ex *Constit. Pontif.* Conditiones ex natura contractus servandae, sunt. 1. Intentio emendi, et vendendi, alias esset dare pecuniam ad usuram. 2. Justum pretium. 3. Ut fundetur super re immobili, et frugifera. 3. Ut si pereat res censita, absque culpa censuarii, cesset, et ipse census. 5. Ut qui imponit censum super aliqua re, sit Dominus ejus, et habeat illius liberam administrationem.

4. Conditiones necessariae ex Constit. Pontif. et praecipuae S. Pii V. sunt 1. Ut Census tantum imponatur super re immobili frugifera, unde damnantur census Personales, et Mixti. 2. Ut res certis limitibus sit designata praesens, non futura. 3. Ut non celebretur census, nisi in pecunia numerata coram Notario, et testibus in actu Instrumenti. 4. Ne Censuarius teneatur ad casus fortuitos. 5. Ne Censuario poena imponatur ob non promptam solutionem. 6. Ne census augeatur ex pensionibus. 7. Ut Censuarius possit redimere censum. 8. Quod Censuarius non cogatur redimere censum, nisi intra annum post denunciationem 9. Ut pretium census semel constitutum, ex nulla circumstantia possit minui, vel augeri etc.

5. Census finem habet 1. Pereunte fundo, super quod erat positum. 2. Extinctione, vel Redemptione. 3. Per Judicis sententiam. 4. Praescriptione, si cum bona fide cessavit solutio per annos triginta etc.

COENULA v. JEJUNIUM *n.* 6.

CÆREMONIÆ, antecedentes, concomitantes, et consequentes collationem Sacramenti: circumstantiae, quae respiciunt locum, et tempus, in quibus fieri debent Sacramenta; illae etiam circumstantiae, quae respiciunt non substantiam, sed qualitatem Personarum, a quibus conferri, et recipi debeat Sacramentum necessariae sunt necessitate praecepti, et non necessitate Sacramenti, et singulae inobservatae, reddunt Sacramentum illicitum: sed vid. suis locis.

CESSATIO A DIVINIS. Est quaedam prohibitio ob moerorem facta, ne in aliquo loco Divina peragantur Officia, habetque quamdam analogiam cum suspensione, et interdicto, sed non est vere Ecclesiastica Censura. Hoc tamen neutiquam impedit mortuos sepeliri in loco Sacro.

CESSATIO LEGIS. v. LEX. *n.* 18.

CESSIO BONORUM. illa est, qua res dividenda in communi, uni tantum sociorum, a reliquis adjudicatur, vel est, cum debitor, cunctis non valens satisfacere Creditoribus, omnia bona sua illis cedit, positis conditionibus.

CHARACTER. Sumptus generice, *est Entitas designativa*, sumptus specifice, *est potentia, vel passiva, vel activa*.

2. Character, ut entitas designativa, designat hominem ad cultum Dei exercendum valide: Ut potentia activa, vel passiva, hominem reddit capacem valide recipiendi, et exercendi Sacramenta, quae ad Dei cultum pertinent.

3. Baptismus, Confirmatio, et Ordo producunt characterem, quo fideles designantur; ut domestici, ut milites ex officio decertaturi, ut Praelati in Ecclesia, et haec omnia ad exercendum valide cultum Dei. De hoc videre est Scholasticos ex professo agentes. vid. SACRAMENTUM.

CHARITAS. Ago hic solum de charitate in Deum super omnia, propter se, et nos ipsos, et proximos, sicut nosipsos propter Deum diligendos, et definitur. *Actus amoris benevolentiae*: Charitas vero habitualis, est habitus per se infusus actuum charitatis cum auxilio gratiae elicitivus, habilitans ad actus charitatis eliciendos.

2. Charitatis objectum materiale primarium est *Deus*, secundarium, *nos*, et *proximi nostri*. Objectum vero formale seu motivum, est *Deus ipse*, quatenus in se Bonus, ac Perfectissimus.

3. Charitatis actus sunt. *Amor*, *Benevolentia*, *Affectus unionis*; *complacentia de Perfectionibus Divinis*, *desiderium ejus gloriae* etc.

4. Extat praeceptum amoris Dei, et ab omnibus aliis distinctum. *Diliges Dominum Deum tuum* etc. *Matth.* 12. Praeceptum hoc obligat sub mortali: quando vero obliget. v. EUCHAR. in fine, sparsimque in opere.

5. Peccata contra charitatem Dei sunt. *Odium Dei*, ad quod aliquando impii descendunt, cogitantes Dei justitiam culparum non esse punitivam et. *Accedia*, *taedium* scilicet, et *tristitia* de *bono spirituali etc.*

CHARITAS PROXIMI. Est *Praeceptum speciale diligendi proximum nostrum*; non tantum actu externo, sed interno, propter Deum, amore benevolentiae, affectivo, sicut nos ipsos amamus. *S. Thom. 2. 2. q. 44. a. 7.*

2. Hoc praeceptum est affirmativum, ut habet: Matth. 7. *Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*. Est et negativum. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, v. DILECTIO.

CHIROGRAPHUM; est cum duo paciscentes Scripturas sub eadem forma verborum inter se conficiunt, et mutuo sibi tradunt. *vel* est Instrumentum, in quo debitor confitetur se esse creditori obligatum.

CHIRURGIA. v. ARS MECHANICA *n.* 6.

CHORÈAE. Si honesto fine, puta, letitiae, civilis recreationis fiant, non sunt peccato obnoxiae. Si periculum ad libidinem incitandi extet, vel alia circumstantia, non sunt a gravi culpa immunes, sicque intelligendi sunt Patres contra chorèas clamantes.

2. Chorèae publicae, diebus festis sunt omnimode prohibitae a *Bened. I.* 1. *Const.* 60. et ultra mediam noctem protrahi ultima baccanaliorum die vetat. *I,* 2. *Const.* 45.

3. Chorèas a Clericis non sine peccato gravi, agi posse Theologi plerique sentiunt, quin et ab Episcopis prohiberi possunt. Clerici omnes, ne chorèas ducant, ac in illis ludant instrumentis, quin nec fieri in suis aedibus canonicalibus, seu etiam beneficialibus, deputatis pro domicilio beneficiati, etiam si fierent nomine consanguineorum ibidem morantium. v. *S. Carlum Borrom. Opusc. de Choreis*.

Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solemnitates, agere consuevit. Populi, qui debent Officia Divina attendere, saltationibus, et turpibus canticis. Non solum sibi nocentes, sed et Religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim, ut ab omnibus Provinciis depellatur, Sacerdotum, et Judicum a Concilio Sancto cura committitur. *Decretum Gratiani de Consecr. d.* 3. *Can. Irreligiosa*. Conc. Tolet. 3. *can.* Conc. Affric. c. 23.

CHRISMA, a solo Episcopo benedicitur, et pro Ecclesiis graecis recipi debet ab Episc. Catholico Ordinario. Solus Pontifex potest committere facultatem simplici Sacerdoti, esto insuetum sit, hac prerogativa ordinis Episcopalis pro-

pria, inferiorem insignire Presbyterum, ut tradit. Bened. XIV. *De Syn. Dioec. l. 7. c. 8. n. 2.*

2. Parochis vetitum est aliud Chrisma, quam ab Episcopo suo benedictum adhibere, et cum novum benedicitur, vetus est comburendum. *Can. 122. dist. 4.*

3. Licitum est oleo consecrato aliquod non consecratum miscere, in minore tamen quantitate, quam consecratum. Cum fontes die Sabati Sancti a Parochis benedicuntur, praestat novo chrismate ab Episcopo Feria V. in Coena Domini, ejus anni benedicto, ritum peragere.

4. Ex jure Canonico non licet deferre Sacra Olea, nisi subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus. *Can. omni temp. dist. 4. de Consecr. part. 5.*

CIBUS. Vesci cibis prohibitis sine licentia, vel Causa legitima, est delictum ad S Officium spectans. *Ferentina 6. Augusti* 1602. Licitum est vesci cibis concessis in aliena regione, in qua quis moratur, vel per quam transit, etsi tales cibi in sua essent patria prohibiti. Enim vero adest versus *C. 2. Illa. 12. distinct.*

Si fueris Romae Romano vivito more:
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

CIRCUMSPECTIO. *Est virtus, quae sermones moderatur secundum rectam rationem, et legem Divinam*; ita ut, non loquamur, nisi, cum, ubi, quae, quibus, et quomodo oporteat. S. Thom. Haec virtus est valde necessaria, quia ex ejus defectu innumera patrantur delicta, ut sparsim videre est alibi, nam lingua, *ignis est, et universitas iniquitatis S. Job.*

CIRCUMSTANTIA PECCATI. v. DISTINCT. PECCATORUM.

CLAMOR v. IRA *n.* 2.

CLANDESTINUM. v. IMPEDIMENTA MATRIMONII. *n.* 13.

CLAVIS SS. SACRAMENTI non detur, Abbatissae, vel

cuicumque Moniali, sed semper apud illum Sacerdotem sistat, ad quem pertinet ejus administrandi cura.

CLEMENTIA. Est virtus Temperantiae filia, qua Superior ex animi lenitate inclinatur ad poenam debitam mitigandam, vel remittendam, quantum patitur recta ratio justitiae, disciplinae bonum, rei salus, et proximi aedificatio. Huic crudelitas opponitur per excessum, et per defectum laetitia nimia.

CLERICUS. Secundum praesentem Ecclesiae disciplinam, *Est vitae institutum, in quo homo vel Tonsura initiatus, vel Sacramento Ordinis consecratus, Deo devovetur*. Hic status respici potest, pro ut est consecratio, qua Clericus se Deo consecrat: vel prout est ministerium, quo Clericus Deo consecratus fidelium saluti procurandae invigilat. In primo casu exigitur sanctitas interna, atque specialis, ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 189. *ad* 3. Prout autem est ministerium, praeter specialem sanctitatem, exigitur *scientia*, quae necessaria est ad Sacra ministranda. *Qui enim Tonsura initiandi sunt*, ait Conc. Mediol. V., *tales esse debent, qui spem praebeant, Ecclesiae ministros, utiles fore. Qui Ordinibus Min. initiandi sunt, ii debent esse, ut scientiae spes tales eos ostendat, qui digni sint, ut ad majores Ordines aliquando ascendant*. Ibid. *Qui Sacris Ordinibus initiantur, Clericis inferioribus doctrina, quodam, quasi ascensu praestare debent*, ibid.

2. Ex hac doctrina surgit. Quod nemo ad statum Clericalem admitti debet sine interiori vocatione, dicente Jesu *Ego elegi vos* Joan. 15. v. 16., ideoque non censetur vocatus, non habens *sanctitatem*, et *scientiam*, ut exigit status clericalis; multo minus censetur vocatus, statum illum aliquo pravo suscipiens motivo, v. *g.* ut tranquille vivat, ut deliciis affluat, ut honoribus fulgeat; *etc.* Non ille vocatus censetur, qui magis quaerit, quam quaeratur, qui a solis parentibus ad illum statum destinatur, quem Parentes offerunt Ecclesiae, quia statui saeculari non est aptus. Qui Tonsuram suscipit, ut beneficio potiatur, qui Ecclesiae offertur, ne in tot liberos dividatur haereditas ait *S. Bern.*

3. Irregulares ex defectu, vel ex delicto, non possunt ad Statum Clericalem admitti. *Ex Jur. Canon. can. 4. dist. 22.*

4. Oportet Clericum talibus uti vestibus, ut a populo distinguatur, immo oportet, ut caput attonsum habeat. Hinc Clericus in Sacris constitutus, aut beneficia possidens, si vestiarium Ordini congruum non semper deferat, ab Officio, et Beneficio suspenditur, et proventibus beneficii privatur *Trid. sess. 14. de Reform: c. 7.* Ex variis Conciliis colligo vestem Clerici non debere esse *sericam*, sed *laneam* *Mediol. I. P. 2.* Colorem, non purpureum, nec vario coloratum, sed nigri coloris. *c. quoniam. c. Clerici*. Formam non brevem, sed talarem, clausam a summo ad imum *Conc. Later. V. Sess. 9.* Decentiam non pannosam, aut laceram, nec luctuosam, aut funebrem. *Tolet. 12. c. 8.* Clericus non debet portare torques, armillas, monilia, annulum, nisi ratione dignitatis *Mediol. ibid.* Demum Clericus sic vestire debet, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendat. *Trid. ibid.*

5. Clerico interdicuntur exercitia illa, quae feritatem aliquam redolent. Ideoque 1. Non licet Clerico arma gestare, aut bellum gerere, aliter excommunicatur. *Can. Clerici*. Extra civitatem tamen Episcopi dispositionibus accomodetur.

6. Non licet Clerico Judicem gerere in causa mortis, sanguinis, mutilationis, aliter excommunicatur *Can. his a quibus* nec potest adesse, ubi tale fit Judicium, ubi reus interficiendus, aut mutilandus etc.

7. Non licet Clerico venari, nec venatione *oppressiva*, quae homines perdit, nec *arenaria*, qua homo cum bestiis pugnat: nec venatione *clamorosa*, et *saltuosa*, quae in Sylvis et Saltibus exercetur. Hoc jubet Trid., dum prohibet Clericum se a venationibus abstinere.

8. Non licet Clerico Medicinam, aut chirurgiam exercere nisi erga pauperes, aut in necessitate. *c. sententiam sanguinis*.

9. Clerico illa omnia interdicuntur exercitia, quae turpe

aliquod lucrum sapiunt, vel negotiis saecularibus implicant Ideoque 1. Clerico interdicitur negotiatio exercita turpis lucri causa. 2. Officium *Advocati*, *Procuratoris*, *Tabellionis*, *Notarii* coram Judice Saeculari, exceptis causis propriis, vel Ecclesiae, vel pauperum; sed nec potest aliorum tutelam, aut curam suscipere: non pro aliis fidejubere: non Laicorum agere causas; non esse aut praecursor, aut assecla faeminarum *Can. Med.* 1. *c.* 26.

10. Clerico interdicitur ea recreatio, quae sobrictatem offendit, aut castitatem, ut sunt *commessationes*, *Tabernae*, *chorèae*, *spectacula*, *concentus Musici prophani*, *inhonesti*. Insuper, et illae interdicuntur recreationes, quae gravitatem clericalem dedecent, ut sunt *ludi*, *colloquia prophana*, *turpia*, *contentiosa*, *aut jocosa*. Cetera, sparsim, et ubi, *Munera Clericorum*. *Dotes* etc.

CLERICUS, QUOD TEMPORALE DOMINIUM. Innumerae scatent hisce diebus opiniones circa Clericorum temporale dominium. Esto non sit Provinciae meae quaestionibus istis nomen dare, adhuc tamen, ut casuum arbiter aliquam sibi comparet cognitionem, eo magis, quod mulierculae ipsae de hoc disserunt ex Cathedra, obiter tantum haec pauca subiicio.

2. An Ecclesia jure Divino potestatem habeat, vel directe, vel indirecte, circa Regum temporalia, vel circa Temporale subditorum, etiam sine Regum consensu? non est meum inquirere. Eadem enim non est omnium Theologorum doctrina, et sensus. Magna, et valida sunt utrinque argumenta, ut videre est apud auctores haec ex professo tractantes, et praecipue *Lancisium* Secul. XV. sub Pontif. Sixti IV., aliosque.

3 Hic inquiro sollumodo. An Clerici possint Ditiones et Principatus obtinere, et proinde jurisdictionem circa res non mere spirituales habere? Duce mihi, Scriptura, Patribus et ratione, respondeo

4. Clerici possunt Ditiones, aut Principatus obtinere titulo *donationis*, *Emptionis*, *Cessionis*, *Labore proprio*, de-

mum aliis titulis, quibus caeteri homines rerum dominium aquirunt, et probo.

5. Ex Scsiptura. In veteri Testam. Levitis datae sunt Urbes in possessionem. *Num*, 35. Jeremias Proph. et Sacerdos Patruelis agrum emere jussus est, *Jer.* 32. Macchabei supremam auctoritatem obtinnerunt.

6. In novo Testam. Nulla est lex, quae Clericos a dominio rerum temporalium amoveat, quin immo justum, et aequum declararunt Christus, et Paulus, ut qui Altari serviunt, de Altari vivant. De Christo enim ait *Ven. Beda l.* 4. *c.* 54. *In Luc.* 12. *Cum, et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam, loculos habuisse legatur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens etc.*

7. Possunt ergo Clerici Ditiones obtinere, et Principatus iisdem titulis, quibus alii homines obtinent; et proinde possunt jurisdictionem circa res mere temporales exercere: Clerici enim non sunt inferioris conditionis, quam caeteri homines, qui cum possint, et Ditiones obtinere, et Principatus, pari ratione poterunt, et Clerici: Ideo.

8. *Jure justae retributionis* acquirunt oblationes, quae eis ad victum, et vestitum decentem dantur a populis. Sic jure *donationis* aquisitum est jus circa Principatus, circa Regna, quae multi Reges, vel Summo Pontifici, vel aliis Praesulibus contulerunt. Sic jure *Emptionis* aquisitum est dominium eorum Principatuum, quos aliquando Clerici compararunt. Adest et jus *praescriptionis*, quo Clerici, et praecipue Summi Pontifices per mille, et amplius annos, pacifico fruuntur temporali dominio eorum omnium, quae Sancti Petri Sedi fuerunt a Piis Principibus, a liberis Nationibus, et Populis, sponte, Religioseque elargita, et a privatis quoque, voluntarie, sponteque donata.

9. Si ergo innegabile est, quod Clerici possunt temporalia possidere; innegabile pariter erit posse Leges circa temporalia statuere, et circa eādem ordinariam exercere jurisdictionem. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 60. *a* 9. *ad* 3. ait *Potestas saecula-*

ris subditur spirituali, sicut corpus animae, et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis Praelatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei Saecularis potestas, vel quae ei a saeculari potestate relinquitur. Sic Papa, quatenus Christi Vicarius, potestatem spiritualem habet in tota Ecclesia, quatenus Patriarcha Occidentis, potestatem habet Patriarchalem in toto occidente, quatenus Romanus Episcopus, potestatem habet Episcopalem in suo Episcopatu, quatenus temporalis Princeps, potestatem habet temporalem, circa temporale eorum, qui sibi subiiciuntur, ideoque leges civiles, quas condit, ligant Cives sibi subditos, non eos, qui temporaliter sibi non subiiciuntur. v. ETIAM DONATIO.

COACTIO. Dupliciter fieri potest, vel per vim *absolutam*, vel non *absolutam*. In primo casu, tollitur omnino voluntarium, ut puella invita, et reluctans, deflorata etc. In secundo casu non tollitur omnino voluntarium, ut si incutiatur metus mortis etc. Prima coactio semper a peccato excusat, quia tollit voluntarium, sine quo peccatum non adest: non autem secunda, quia non tollit, sed voluntarium minuit solum.

2. Difficultas est, an, et quando ratione necessitatis inductae per metum, ipsa etiam a peccato excuset, vel non: quo in casu Arbiter casuum, hanc servet regulam. Si praeceptum est affirmativum, ab eo excusat coactio per metum, quoties non agitur de bono communi. Si est negativum, excusat, quoties non est de re in se intrinsece mala.

COADJUTORIA. *Est facultas ex causa, auctoritate Juris, vel Judicis, cuipiam concessa adjuvandi Praelatum, vel alium Beneficiatum, in Ecclesiae, vel Beneficii regimine, et.*

2. Duplex est. Una *temporalis*, et *revocabilis*, seu data sine jure succedendi in Ecclesia, seu beneficio, per quam, propter infirmitatem, aliamque causam; impedito ab Exercitio sui muneris, datur Coadjutor, quamdiu is vivit. Alia est *perpetua* et *irrevocabilis*, seu data cum jure succeden-

di in Ecclesia, sive beneficio, per quam, mortuo coadiuto, succedit Coadiutor. Haec Coadjutoria perpetua cum futura successione, utpote Sacris Canon. odiosa, Patrumque contraria decretis, a solo Pontifice concedi potest, cum ipse solus, secundum plenitudinem potestatis, de jure possit supra jus dispensare. *C. Proposuit*.

3. Coadiutoria temporalis vero, potest a proprio Praelato concedi; sicut enim Praelati est eas instituere, et destituere, a fortiori poterit Coadiutorem temporalem dare. *Gonzal, et multl alii*.

COADJUTOR ille est, qui datur ex causa Juris, vel Judicis, ad coadjuvandum officium Praesidentis, seu Ecclesiae Ministri. Coadjutor dari potest ob varias causas: 1. Datur absolute, et sine futura successione ob morbum incurabilem, et perpetuum. Si morbus sit curabilis, tunc ipsemet Aegrotus poterit sibi interinum constituere, durante morbo *Trid. sess.* 21. *c.* 1. *de Reform*. 2. Propter Lepram. 3. Propter linguae amissum usum 4. Propter ejus amentiam 5. Propter senectutem 6. *Propter imperitiam et illiteraturam*. *Conc. Trid. sess.* 21. *c.* 6.

2. Coadjutor debet habere omnes qualitates de jure requisitas ad illud munus, pro quo datur. *Conc. Trid. sess.* 25. *c* 7.

3. Si Coadjutor datur in spiritualibus Parocho, aut Episcopo, debet habere scientiam, et prudentiam, qua populum regere valeat, Parochiam, vel Dioecesim gubernare, animarumque saluti prospicere, criminosos sub disciplinae vinculo coutringere *c. quamvis sit triste* 14. *c. Petisti etc.* Coadjutor in temporalibus debet esse, fidelis, probus, circumspectus administrator, qui sit constitutus in aetate an. 25., in qua aetate potest quoque esse, vel Tutor, et Procurator, quoad judicia etc. Ex vi Coadjutoriae, precise non tenetur ad D. Officium persolvendum. Valet extra chorum, non autem cui resignatio, et titulus, et possessio est facta. Navar.

CODICILLUS. *Est ultima voluntas minus solemnis absque haeredis institutione, de eo quod quis post mortem suam fieri*

designat : seu, ut Cujacius definit *Testati intestative voluntas minus solemnis* .

2. Codicillus, vel est Scriptus, vel Nuncupativus, vel Testato, vel ab intestato factus. Hinc Codicillum facit quidem, qui facere valet Testamentum, sed non potest quis in Codicillo instituere directe haeredem, exhaeredare, substituere etc. Ad hunc conficiendum non requiritur Solemnitas, sed unitas actus, et praesentia Testium juxta Statuta etc.

3. Codicillaris clausula in hoc sita est, quod si testamentum non valeat, ut Testamentum, valeat Jure Codicillorum.

COGNATIO V. IMPEDIMENTUM

COGNITIO V. IGNORANTIA

COLLATIO V. BENEFICIUM *n*. 7.

COMOEDIAE V CHOREAE

COMMEMORATIO Defunctorum. Tali die omnia Altaria sunt privilegiata ex decr. Clem. XIII. 19. Maj. 1761.

COMMODATUM *Est contractus, quo res aliqua ad solum usum gratuito conceditur pro determinato usu, et pro determinato tempore, ea conditione, ut res eadem in individuo restituatur*.

2. Eaedem requiruntur conditiones in commodato, quae requiruntur in donatione, est enim gratuita donatio hujus rei, quae commodatur. Commodans ideo tenetur : 1. Aperire vitium rei commodatae, alioquin tenebitur de damno secuto. 2. Ad impensas extraordinarias. 3. Non repetere ante praefixum tempus, alioquin tenebitur ad interesse, quod inde alteri eveniat.

3. Commodatarius tenetur ex justitia. Non uti re commodata, nisi ad usum sibi commissum. 2. Rem commodatam elapso tempore fideliter restituere, esto non repetatur. 3. Ad impensas ordinarias, et necessarias ad rei commodatae conservationem. 4. Maximam adhibere diligentiam ad rem ipsam conservandam.

4. Illi omnes commodare possunt, non solum, qui habent dominium rei, sed etiam ejus possessionem, sive liberi, sive servi, sive patres, sive filii familias, et quidem unicui-

que commodare possunt, modo speretur, quod res commodata non erit usu futura deterior, cum nihil ultra requiri possit a Domino, nisi ut res ipsa reddatur.

5. Illa solum commodari possunt, quorum usus distinguitur ab ipsis rebus, qualia sunt ea, quae usu non consumuntur, sive mobilia sint, ut vestis etc., sive semoventia, ut equus, sive immobilia, ut domus.

6. Commodantis est, beneficio suo praescribere, quod si non praescribatur, consuetudine mensurabitur, cum consuetudo sit contractuum interpres, sicut est, et legum: His deficientibus per aequitatem judicandum erit. Sic commodatum poterit repeti ante praefixum tempus, ad evitandam comodantis jacturam, aequitas enim postulat, ut Dominus re sua utatur, potius quam alius etc.

COMMUNIO V. EUCHARISTIA

COMMUTATIO VOTI. *Est substitutio rei bonae, et honestae in locum rei, per votum promissae*: ut quando peregrinatio, voto promissa, mutatur in eleemosynam.

2. Quilibet potest commutare votum in rem meliorem, si Deo, hic, et nunc, judicetur magis accepta. In rem minorem vero, aut aequalem, solus potest mutare superior. *D. Thom.*

Not. Ex Cajetano, verbo, *votum*, quod commutatio, non tollit vinculum voti: unde, esto de rigore juris commutatio sufficiens videatur, si fiat in aliquid aequale: tamen, ut commutans tutior sit, commutet semper in aliquid melius. v. DISPENS. VOTUM. etc.

COMMUTATIO LEGATORUM v. LEGATUM.

COMPENSATIO. *Est debiti, et crediti inter se contributio*: et fit, cum quis tibi debet centum scuta, et non vales illa recuperare via ordinaria a debitore; occulte, et illo inscio surripis ei totidem scuta, vel si tu debitor occultus existas, non praestes solutionem in aequivalenti: Cum debitis conditionibus justa adjudicatur, et licita haec compensatio. Est *comm.*

2. Ad hoc autem, ut licita sit haec compensatio hae sunt conditiones. 1. Ut certo moraliter constet rem esse tuam,

aut tibi ex justitia deberi. 2. Ut debitum sit stricte, et proprie debitum. 3. Ut res non possit alia via recuperari. 4. Ut compensatio non fiat in re alterius, sed in re ipsius debitoris. 5. Ut fiat absque scandalo, sive sine periculo damnificandi tertium. 6. Ut fiat sine periculo damnificandi ipsum debitorem, vel ejus haeredes. 7. Ut non plus accipiatur, quam revera debetur, alioquin restitutioni esset locus. 8. Ut fiat sine praejudicio tertii, ut si fieret in re alteri locata, aut commodata, et sic etiam in casu, quo essent alii, et anteriores Creditores.

3. Circa famulorum, famularumque compensationem surripientium occulte de bonis Dominorum suorum, judicantes mercedem, sive salarium, non correspondere famulatui, et minus esse justo, absolute dicendum, illicitam esse, si absque certa, et evidenti cognitione, simile ferunt judicium, sive apparente, sive probabili tantum. Adest enim damnata prop. *Innoc. XI. die 2. Mart. 1679. ord. 37.* ubi includuntur famuli et famulae domesticae non solum, sed quotquot sunt, qui pro mercede et Salario, operas, et servitium praestant. Si vero legitimae, et irrefragabiles adsint suprappositae conditiones: tunc licita erit occulta compensatio in positis terminis. In hac vero materia valde cautus sit Confessarius, et praecipue advertat, an famulus conductus cesserit juri suo ad majus stipendium, et se contentum declaraverit stipendio convento, quia in his aliisque casibus, stipendium est absolute justum, quamvis solito minus.

4. In praxi, Si Confessarius interrogetur, antequam facta sit compensatio 1. Numquam admittet compensationem occultam, propter periculum scandali. 2. Si interrogetur, an sit licita respondebit, juxta aliquos Theologos licitam esse, ab aliis improbari. 3. Si interrogetur, postquam poenitens propria auctoritate compensationem sibi adjudicavit; examinabit, an juxta supradictas conditiones, vere locum habeat? et si id bona fide fecerit, non arguat de peccato, neque ad restitutionem coerceat, sed tantum moneat periculi, cui se exponit. Si vero cognoverit deesse requisitas conditiones, si poenitens

peccaverit contra justitiam commutativam. v. g. si usus esset compensatione circa rem non debitam titulo justitiae; arguat tunc de peccato, et ad restitutionem obliget, cum non suum acceperit, sed alienum. Si vero contra justitiam legalem peccaverit, eum peccati arguet, sed ad restitutionem non obbligabit, cum non alienum, sed suum acceperit. v. FURTUM FAMULORUM.

COMPLEX PECCATI. Quicumque Confessarius, sive saecularis, sive regularis, nequit complicem suum absolvere in peccato contra sextum Decalogi praeceptum, nisi in articulo mortis, et defectu alterius Confessarii *Bened.* XIV. *in Constit. Sacramentum Poeniten.* extra quem casum excommunicationem incurrit Papae reservatam, talesque confessiones, invalidae sunt, irritae etc.

2. An vero possit Confessarius de quocumque alio gravi peccato, non carnali, complices suos absolvere, attendendae sunt cujuscumque Dioecesis dispositiones.

3. Quamvis ordinarie complex non possit se Confessario manifestari, propter naturale praeceptum, famam proximi servandi, potest tamen Confessarius necessaria interrogare ad Confessionem, et esto sic venturus sit in cognitionem complicis, tunc per accidens est, quod hujus peccatum manifestetur. Poterit vero Poenitens complicem manifestare, si aliter non possit integre confiteri. *SS. Thom. Bonavent.*, *et alii*. Si autem complex absque necessitate complicem in confessione manifestat, Dico hanc esse Sigilli materiam, et Confessarium ad Sigillum teneri

COMMUNIO PASCHALIS V. EXCOMMUNICATIO *n.* 9. EUCHARISTIA *n.* 8.

COMMUNIO SPIRITUALIS V. MISSA *n.* 14.

CONCILIUM *Est congregatio Praelatorum Ecclesiae, qui in unum, eumdemque locum congregantur ad definiendas controversias circa fidem exortas, ad reformandos mores, et ad Disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam*. Hinc est, quod.

2. Triplicis speciei potest esse Concilium. *Provinciale, Na-*

tionale, *Generale*. Tria pariter possunt in quolibet Concilio pertractari, scilicet, ea, quae fidem respiciunt ea, quae ad disciplinam spectant, et ea, quae ad mores. *In meo Epit. Theolog. etc. adest haec per extensum doctrina, omniaque numerata Concilia.*

CONCUBINATUS. Ut tali dicatur, requiritur, ut mulier, vel domi teneatur, vel extra domum, ac si esset propria uxor, et cum illa vir continuam habeat consuetudinem. Est crimen mere Ecclesiasticum per Judicem Eccles. puniendum *l. inconcubinat. ff. de concub.*

2. In Sacramentali absolutione, surdus evadat Confessarius, hocque attendat solum, nulla admissa ratione: Quod absolute dimittatur Concubina, quod scandalum tollatur, et periculum relabendi in peccatum; Haec brevis doctrina omnes tollit anxietates, omnes solvit casus, eventus omnes evellit.

3. Poenae inflictae de *Jure* in foro externo contra laicos concubinarios, sunt Episcopi arbitrio. De *Jure civili*, concubinatus non punitur. *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. c. 8.*, post trinam admonitionem, praecipit Episcopis, ut Concubinarios poena Excummun. plectant, concubinas exulent.

4. Poenae in Clericos concubinarios sunt. Quod de Jure antiquo prohibebatur audire Missam Concubinarj, vel ab eo Sacramenta recipere: Erant ipso jure suspensi, et celebrando irregulares fiebant. Nunc vero sola attenditur Tridentini dispositio, in quo *Sess. 24. c. 14. de Ref.* sancitur. Quod Episcopi, vel de facto, vel etiam suspecti a Synodo Provinc. moneantur, nec se corrigentes, ad Pontificem relatio habeatur. Clerici admoniti, prima vice, tertia parte fructuum beneficii ipso facto priventur: Secundo admoniti, fructus omnes amittant, et Beneficii administrationem. Tertio admoniti, beneficiis, ac pensionibus in perpetuum priventur puniantur carcere, suspensione a Divinis, inhabilitatione etc. Concubinarius publicus caret quoque Ecclesiastica sepultura etc. V. MATRIM. n. 22.

CONCUPISCENTIA. *Est appetitus boni*. Alia est *sensitiva* alia *Intellectualis*. Haec est vis spiritualis appetens bonum pro-

positum per intellectum. *Sensitiva* vero est vis materialis appetens bonum sensibile, et fugiens sensibile malum, et haec alia est *justa*, alia *injusta*, sive vitiosa. *Justa* est vis appetens bonum, et fugiens malum sensibile, juxta regulam rationis. Sensitiva vero vitiosa, alia est *voluntaria*, alia *involuntaria et* est *appetitus inordinatus i sed indeliberatus boni sensibilis inclinans ad desiderium inordinatum et indeliberatum*. Vitiosa vero voluntaria, est *appetitus deliberatus, et inordinatus boni sensibilis, ortus ex pravo actu voluntatis*. Ex hac doctrina.

2. Exurgit, quod Passio omnino involuntaria, et omnino absorbens usum rationis, excusat totaliter a peccato; Peccatum enim debet esse voluntarium, vel formaliter, vel virtualiter.

3. Passio aliquo modo volita, vel relinquens usum aliquem rationis, non tollit omnino peccatum, sed minuit; non excusat a toto, sed a tanto *S. Thom.* 1. 2. *q.* 77. *a.* 6.

4. Passio voluntarie affectata adauget peccatum, et eo magis aggravat, quo est magis voluntarie affectata *S. Thom. ib.* Sic non immunes sunt a peccato, qui legem violant ex passione affectata graviusque peccant, quam qui violant ex infirmitate, Tales sunt Judaei, Gentiles, Tiranni, indurati corde etc. qui sine ullo scrupulo legem violant.

5. Qui sentit sibi inesse pravum aliquem habitum, v. g. blasphemiae, vindictae etc. sub peccato tenetur se corrigere, et si neglexerit, non excusatur a peccato, quoties etiam incogitanter erumpit in actum, ad quem ex pravo habitu inclinatur, quia haec prava consuetudo est voluntaria in causa, et quia actualis advertentia non requiritur ad peccandum.

CONCORDATA V. BENEFICIUM *n.* 26.

CONCURSUS ad Parochias debet omnino fieri juxta dispositionem Trid. Conc. *Sess.* 24. *c.* 18. *et Constit. S.* Pii *V. In Conferend.*

CONDITIO, prout est Impedim. V. IMPEDIM *n.* 4.

CONDUCTIO, et LOCATIO. *Conductio est contractus*, quo rei *usus*, *vel fructus*, *aut personae opera, pretio accipi-*

tur. *Locatio est contractus, quo rei usus, vel personae opera pro certo pretio conceditur ad tempus*. Unde sunt unus, idemque realiter contractus bilateralis, qui ex parte dantis est locatio, ex parte accipientis conductio dicitur:

2. Obligationes locatoris sunt 1. Aperire conductori vitia rei locandae 2. Tenetur locator ad impensas necessarias, tum ad reparationem rei locatae, tum ad convienentem usum, pro quo locatur 3. Tenetur remittere pretium locationis pro eo tempore,quo Conductor uti nequivit re, vel opera locata 4. Si rem locatam Dominus vendet, debet ea lege divendere, ut conductor eadem conditione apud emptorem maneat, a quo, si domo, vel fundo pellatur, tenetur venditor conductori de damno 5. Tenetur manutenere conductorem re locata usque praefinitum tempus, et terminum, aliter ad interesse tenebitur.

3. Quatuor tamen sunt casus, in quibus Conductor ante terminum amoveri potest 1. Si casus repentinus eveniat, ob quem res locata sit absolute Domino necessaria, ut incendii. Matrimonii etc. 2. Si res locata, ut domus etc. egeat refectione, remittendo tamen pensionem pro residuo temporis. 3. Si Conductor pro biennio pensionem non solverit 4. Si re locata ad malos usus, vel damnum inferendum utatur, aut rem destruat. Sed

4. Conductor quoque tenetur 1. Uti re locata juxta tantum concessos usus. 2. Pro illius conservatione illam adhibere curam, ac si propria esset. 3. Impensas modicas, et quotidianas,et necessarias ad rei conductae conservationem v.g. equi alimentum, manutentionem, Instrumenti etc. Pensionem fideliter suo tempore persolvere, 5. Rem conductam non dimittere ante statutum tempus. 6. Rem locatam suo tempore locatori Religiose restituere, ac reddere.

5. Observanda circa Operariorum, et famulorum locationem 1. Justum locationis stipendium 2. Si nulla fuit facta pactio, et pretium relictum sit arbitrio Conductoris, tenetur hic dare infimum justae mercedis pretium 3. Si famulus, vel Operarius se ultro obtulerit Domino, et hic illius non e-

geat opera, tunc debet illi praebere alimenta 4. Si Operarius, vel artifex convenerit de pretio, ejus opera minori, tenetur Conductor defectum supplere justi pretii. 5. Si conductor uti non possit opera alterius conducta, ob impedimentum, non proveniens ex parte operarj, tenetur ei persolvere mercedem perinde, ac si operas explesset suas. 6. Bene laborantibus pactum stipendium statim solvi debet.

CONFESSARIUS erga poenitentes, debet exercere officia, et *Patris*, et *Medici*, et *Judicis*. Nam Confessarius est Pater Poenitentis juxta illud Pauli ad *Galat*. 4. *v*. 10. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Est ejusdem Medicus juxta illud *Luc*. 9. *v*. 2: *Dedit Apostolis potestatem, ut languores curarent, et misit praedicare Regnum Dei, et sanare infirmos*. Est Judex, non qui severe puniat; sed misericorditer bene dispositos Deo reconciliet, juxta illud *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Confessarius ergo tenetur poenitenti affectum exhibere paternum; Prudentis Medici curam impendere, et Judicis auctoritatem exercere, Deo reconciliantis, ut clare hisce carminibus expressit Angelicus. *Confessor dulcis*, *Affabilis* : atque *suavis Prudens*, *Discretus*, *Mitis*, *Pius*, atque *Benignus*

2. Non sufficit autem, quod Confessarius exerceat officia Patris, Medici, et Judicis erga Penitentes, quos pro libito excipit, sed quibuscumque peccatoribus, qui ad eum accesserint, debet se facilem. et non morosum exhibere, eorum confessiones audire, et juxta statutas in Ecclesia regulas, judicare. *Docete omnes gentes*, dixit Jesus,

3. Confessarius non potest citra gravem culpam, absolutionem ei denegare, quem moraliter noverit vere contritum sincere confessum, et ex animo paratum Deo offenso satisfacere; demum, quem, omnibus pensatis, rite dispositum judicat, ut non modo sine periculo, sed etiam cum fructu possit donari Sacramentum.

4. Cum Sacramentum poenitentiae cuiquam aegroto mini-

strarit in Schedula subscribat, eaque fateatur penitentis confessionem excepisse.

5. In domibus Confessiones nemo audiat, nec virorum, nec faeminarum, cujuscumque sint ordinis, nisi dum aegrotant, quod cum fit, et mulierum confessiones excipit, ostium apertum sit, ita ut a quocumque domestico conspici possit. Extra hunc casum, mulierum confessiones non audiat Sacerdos, nec etiam reconciliet, nisi in templo, et sedilibus ad id destinatis, sed neque etiam eo in loco, nisi post ortum solis, et ante ejus occasum, audiantur.

6. Sacerdos toga, et stola decenter amictus, Confessiones auditurus genuflexus dicat, hanc vel aliam similem precationem, pro ut cujusque pietas feret.

V. Cor mundum crea in me Deus
R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
Ne proiicias me a facie tua
Et spiritum Sanctum tuum ne auferas a me
Redde mihi laetitiam salutaris tui
Et spiritu principali confirma me
Docebo iniquos vias tuas
Et impii ad te convertentur
Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae
Et exultadit lingua mea justitiam tuam

ORATIO

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut dignas tibi possim grates agere, qui me indignum propter magnam tuam misericordiam, ministrum fecisti officii Sacerdotalis, et me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum et intercedendum ad Dominum N. J. C. Filium tuum pro peccatoribus, et ad poenitentiam revertentibus: ideoque Dominator Deus, qui homines vis salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant, suscipe orationem meam,

quam fundo pro famulis, et famulabus tuis, qui ad poenitentiam venerunt, ut des illis Spiritum compunctionis, resipiscant, ut, a laqueis Diabuli, quibus adstricti tenentur ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eumdem etc. *Ex Mon. S. Car. Borrom. V.* APPROBATIO CONFES.

CONFESSARIUS SOLLICITANS V. SOLLICITATIO.

CONFESSIO SACRAMENTALIS. Et quidem 1. Ecclesia jure Divino habet potestatem spiritualem, per quam fidelibus potest praecipere, quidquid ad eorum salutem conducere potest *Omnis potestas*, inquit Christus *Matth*: 28. v. 18. *Mihi data est in caelo, et in terra*; camdem ergo habent Ecclesiae Pastores, quos Christus sic alloquitur. *Sicut misit me vivens Pater et ego mitto vos Luc.* 10. *v.* 16. Sequitur ergo

2. Quod Ecclesia jure Divino habet potestatem in verbo, et in Sacramentis, idest docendi, quae a Christo didicit, et ministrandi Sacramenta, quae a Christo accepit, qua potestate usi sunt Apostoli, et Episcopi, eorumque successores.

3. Ecclesia jure Divino habet potestatem circa quaestiones fidei, morum, et disciplinae, seu determinandi, quae pertinent ad fidem mores, et disciplinam.

4. Ecclesia jure Divino habet potestatem judicandi baptizatos quoscumque circa participationem Sacramentorum, indignos excludendo, dignosque admittendo, qua potestate Ecclesiae Ministri utuntur, quoties fideles, vel arcent a Sacramentis, vel ad Sacramenta admittunt.

5. Ecclesia jure Divino habet potestatem judicandi in foro secreto, et interiori, de peccatis tam occultis, quam publicis, vel remittendo per absolutionem, vel retinendo per dilationem absolutionis, juxta dispositiones confitentium, quas Christus, et Ecclesia praescribunt, quae potestas satis aperte his verbis declaratur. *Quorum remiseritis peccata* etc. Joan. 20. 23. Matth. 3. v. 6. Actor 29. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Quid sibi vult ergo impius Novator, confessionem auricolarem irridens!

6. Not Haec pauca apposui, ad os obturandum baccantium contra Auricularem Confessionem, quae, ut ex dictis

patet, velint, nolint, est, et ipsa de Jure Divino. Nunc,

7. Confessio Sacramentalis. *Est accusatio peccatorum facta Sacerdoti Judici legitimo, idest approbato, ut eorum remissio per absolutionem obtineatur*. Ergo Confessio Sacramentalis, ait *D. Thom.*, est conveniens, et necessaria, ex parte *Dei*, quì confessionem exigit a peccatore, ut indulgeat, tamquam bonus Pater; ex parte *nostri*, qui per confessionem factam sacerdoti, nos humiliantes, et erubescentes jam satisfacere incipimus; ex parte *Sacerdotis*, quì, sincera confessione cognoscit oves suas, eisque optime providet: Ex parte *peccatorum*, quorum natura est, ut de eis sit ratio reddenda, vel in hoc saeculo, vel in futuro; ex parte denique *Ecclesiae*, quippe per Sacramentalem confessionem, purior evadit, et sine ruga, et infinita bona ex tam pio exercitio evadunt. Ex hac doctrina eruuntur et alia valida argumenta auricularem Confessionem probantia.

8. Confessionis dotes sunt, hisce contentae carminibus,

Sit simplex, Humilis, Confessio pura. Fidelis
Atque frequens, nuda, discreta, Libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata;

9. De Jure Div. praecepta est Sacramentalis Confessio omnium, et singulorum mortalium, post baptismum commissorum. Ita ex *Joann.* 20. Ex Triditione perpetua Ecclesiae; ex Trid. *sess.* 14. *c*, 5. Immo necessaria est necessitate medj in re, vel in voto, quatenus pars tam necessaria Sacramenti Penitentiae.

10. Confessionis praeceptum obligat 1. In quovis mortis periculo. 2. Saepe per vitam, extra periculum mortis; per accidens vero, seu ratione alterius praecepti obligat. 1. Cum Eucharistia sumenda est. 2. Cum est medium necessarium ad peccatum, ejusque occasionem vitandam. 3. Obligat pro opportunitate, patrata culpa.

11. Poenitens tenetur Jure Div. confiteri distincte omnia,

et singula lethalia, quoad numerum, species, et circumstantias, prout sunt in conscientia. *Trid. sess.* 14. *c.* 5.

12. Sed an, teneatur paenitens aliquando in confessione delicti complicem detegere? Omnes SS. PP. cum Div. Thom. dicunt. Si potest speciem peccati confiteri, non innotescendo personam, peccat exprimendo. Si non, tunc necesse est, ut speciem exprimendo peccati, exprimat simul et personam.

13. Integritas confessionis ad valorem, et effectum Sacramenti, duplex est. *Materialis*, idest accusatio omnium mortalium, quoad numerum, species, circumstantias. *Formalis*, idest accusatio eorum dumtaxat mortalium, quae poenitens potest, et debet declarare in circumstantiis, in quibus versatur. Haec formalis integritas exigit 1. Ut omnia declarentur peccata mortalia, tam occulta, et interna, quam externa, et publica. 2. Eorum numerus. 3. Omnes species mortales. 4. Omnes circumstantiae tum speciem mutantes, quam, quae soli insunt peccato. 5. Ipsi actus externi, et affectus mali inde secuti. 6. Peccatum complicis, et personae qualitas, quae fuit objectum peccati. 7. Omnia mortalia dubia. Reticere sine justa causa aliquid ex dictis, erit Sacrilegium ex *Trid. c.* 5. *ib.*

,, *Not* Integritas materialis non requiritur absolute, cum ,, saepe absolute impossibile sit omnium omnino mortalium co- ,, gnitionem habere, posito etiam diligentiore examine. Be- ,, ne vero sufficit integritas formalis, quae requiritur ad va- ,, lorem Sacramenti, respectu Sacerdotis, et absolutionis ,,.

14. Circa Ecclesiasticum praeceptum, observare libet. 1. Hoc praeceptum obligat omnes fideles adultos, ut saltem semel in annuo confiteantur. *Conc. Lat.* 4. *c.* 21. Praecipitur. 2. confessio valida Sacramentalis, ad reconciliationem apta cum Deo. Trid. *c.* 5. Praecipitur. 3. Ut qui confessionem toto anno omisit, prima die sequentis teneatur, ut opportunitas praebebit, alioquin peccat. 4. Esto certum anni tempus hoc praecepto non statuatur; invaluit tamen; ut intra Quadragesimam, vel quindenam Paschalem fideles confiteantur. 5. Poena interdicti a Later. Concilio statuitur, in omittentem

annuam confessionem, vel Paschalem Communionem, ad quam tamen infligendam, Ordinarii auctoritas accedere debet.

„ *Not* Per confessionem non integram, et Communionem „ sacrilegam, non satisfit praecepto Paschali. S. Thom. et „ alii. Mulierum confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram sine necessitate audiri non debent. S. C. Ep. et Regul. 21. Jan. 1620.

CONFESSIO IN VOTO. v. ABSOL. *n.* 7.

CONFIRMATIO est *Sacramentum a Christo institutum, quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, et fortiter profitendam*. Trid. *sess.* 7. *de Sacram. in gen. c.* 1.

2. Licet nullum extet generale praeceptum, sive Divinum, sive Ecclesiast. de recipiendo Sacramento Confirmationis, ac proinde per se, et simpliciter loquendo, non sit necessarium ad salutem, neque necessitate medii, neque praecepti, adhuc tamen necessarium est, ut non contemnatur. *D. Bonav. dist.* 7. *a.* 3. *q.* 2. *et cum* eo comm. DD. Verum mihi haec non arridet opinio, nam.

3. Est communior, et probabilior sententia, Sacramentum hoc institutum fuisse a Christo in nocte Coenae, quae quidem in Ecclesia usque adhuc fuit religiose observata, et hanc doctrinam tradidit Fabianus Papa *Ep.* 2. *c.* 1. *ad Oriental.*, et confirmat Chatechism. Rom. *de Sacram. Confirm.*

4. *Materia* remota hujus Sacramenti est Chrisma confectum ex oleo olivarum, et balsamo simul, ab Episcopo consecratum. Trid *sess.* 7. *c.* 2. *de Confirm.* Materia proxima est unctio cum Chrismate facta, in modum Crucis, in fronte confirmandi: est comm. *Conc. Florent. et Rit. Rom.*

5. Forma consueta in Ecclesia Latina est. *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate Salutis. In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Conc. Flor. ibi in *Decr. Unionis*. S. Thom. 3. *p. q.* 72. *a* 4, aliique permulti. Apud Graecos est haec. *Signaculum donationis Spiritus Sancti.*

6. Minister ordinarius hujus Sacramenti est solus Episcopus. De Fide ex Conc. Trid. *sess.* 7. *can.* 3. Omnis Episcopus, etiam excommunicatus, haereticus, degradatus, valide

confert, quia per haec non amittit characterem Episcopalem, in quo stat potestas confirmandi. Trid. *sess.* 7. *c.* 12. *de Sacram. in gen.* Valide etiam confirmat, esto non sit confirmatus.

7. Minister extraordinarius potest esse etiam simplex Sacerdos ex speciali commissione, et Delegatione Pontificis. *c. Pervenit*, quae facultas ex sola conceditur urgentissima causa.

8. Effectus Confirmationis sunt. 1. Augmentum gratiae habitualis, et jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter sustinendam. Florent. *in Decr. Union.* 2. Character, quo confirmatus signatur, ut miles intra militiam Christi. Chateh. Rom. *ibi* 3. Cognatio spiritualis. Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de Reform. Matrim.*

9. Confirmationis capaces sunt omnes, et soli baptizati. Et hoc Sacramentum, non tantum illicite, sed invalide etiam iteratur. Trid. *sess.* 7. *de Sacram.* Infantes, quamvis valide confirmentur ante usum rationis, non tamen licite. Catech. *Rom.* ibi. Licite vero confertur amentibus, et furiosis, esto perpetuis; mutis etiam a nativitate; Infirmis morti proximis, intellige etiam de infantibus. etc.

10. In adultis, ut valide confirmentur, requiritur status gratiae. Est enim hoc Sacramentum vivorum, quod non valet producere primam gratiam, quam supponit, sed solum ejusdem augmentum.

11. Patrinus requiritur, et hic esse debet aut unus, aut una sola. Trid. *ibi*. Unus Patrinus, vel una Patrina non possunt duos tenere eadem die Confirmationis. *Pontific. Rom.* Patrinus debet esse illius sexus, cujus est Confirmandus. *ibi.*

12. Dispositiones sunt. 1. Status gratiae. 2. Jejunium, quod consulit Pontif. Rom. *ibi*.

CONGRUA debetur omnibus Ecclesiarum Rectoribus curam animarum exercentibus, eorum Vicariis, et Coadjutoribus *c. de Monachis*. Trid. 7. *c.* 5. *sess.* 21. *c.* 4. *sess.* 24. *sess.* 24. *c.* 13. *ubi* pro Episcopo taxata est congrua in scutis mille, et pro Parochis in scutis centum *ibi*.

2. Pro Episcopis, ut dixi, generaliter loquendo fuit a Trid.

congrua taxata in scutis mille de Moneta illarum partium, in quibus situs est Episcopatus. In Regno tamen Neapolis fuit taxata in scutis 700. Verum certa regula poni nequit, remittiturque arbitrio Judicis prudentis, in quo ratio habenda est de dignitate, et qualitate personae, de Officialibus, et Familia, de oneribus Seminarii, Manutentionis Ecclesiae, Palatii, Itineribus ad Sacra Limina, eleemosynarum, litium sustentatione etc. et demum de consuetudine Regionis. Rota *R. p.* 1. *decis.* 351. *n.* 4.

3. Talis congrua debetur omnimo Episcopo ex fructibus Ecclesiae suae, et illam praestare debet, qui beneficii fructus percipit. In hac congrua non debent sui beneficii redditus computari. Licet enim pingue habeat patrimonium, non tamen Congruae beneficio privandus est.

4. Episcopus adjutus debet congruam praestare Episcopo Coadjutori, sive suffraganeo etc. *De Cler. aegrotis. c. de Rector.*

5. Congrua debetur Parochis, seu Curatis nedum de Jure comm., sed ex Trid. *sess.* 21. *c.* 9., et haec taxatur generaliter in scutis centum, quod est intelligendum de moneta loci beneficii, et hoc prudentiae Judicis, ejusque arbitrio, sed haec debet esse sufficiens ad comodam, et honestam sustentationem, habita ratione numero animarum, constitutionibus Synod. consuetudini, regionum *etc.* cui praecipue deferendum est.

6. In hac congrua non debent assignari fructus incerti ut sunt redditus funeralium, oblationum, Nuptiarum, etc., quae, cum sint penitus incerta, non sunt computanda.

7. Vicariis perpetuis debetur Congrua de redditibus fructibus, emolumentis, proventibus Ecclesiae. *c. de Monachis.* Trid. *ibi.*

8. Congrua semel sufficienter assignata Curato, seu Vicario, nisi superveniat notabilis mutatio, et causa, non debet, nec dat locum novae Congruae, sive Augmento. v. BENEFICIUM.

CONIUGES. CONJUGIUM. Hic aliquid obiter pono, locu-

turus ubi *de Matrim.* Post contractum, et nondum consummatum Matrimonium habet uterque Conjux bimestre ad deliberandum, velit ne in conjugio manere, an Religionem ingredi. Intra dictum bimestre, uterque Conjux licite petit, et licite negat, uterque enim potest libere, et licite uti jure suo, sibi a lege concesso. *c. Ex publico.*

2. Si ultra bimestre maneant conjuges incorrupti, potest uterque, altero invito, Religionem ingredi.

3. Post dictum bimestre tenetur conjux debitum alteri reddere, et ad id compelli potest sub poena excommunicationis, si intra praefinitum tempus non pareat.

4. Matrimonio contracto, et nondum consummato potest alter Conjugum, etiam alio invito, intra bimestre Religionem ingredi, et remanens in saeculo, ad secundas nuptias transire: *ex textu in. c. 7. de cover. Conjugat.*

CONSANGUINITAS. v. IMPED. MATRIM. v. GRADUS.

CONSCIENTIA: Hic non intelligo conscientiae nomine, insitam in corde viventis boni, et mali notitiam, sed actum, quo mens nostra indicat, aliquid hic et nunc esse faciendum tamquam bonum, seu conforme Legi, aut omittendum tamquam malum; seu contrarium legi. Unde conscientia a S. Basilio vocatur *rationale judicatorium*; a S. Greg. Natianz. *verum*, et *domesticum Tribunal*. Cum vero internum hoc mentis humanae judicium circa bonitatem, aut malitiam operis hic et nunc agendi sit multiplex, conscientia a Theologis distinguitur. Illorum ergo vestigia sequens, dico:

2. Conscientia, alia est *vera*, alia *Erronea*. Vera dicitur conscientia, cum mentis nostrae judicium est conforme Legi. Erronea vero, quando judicium illud non est Legi conforme.

3. Alia est *certa*, quando scilicet mentis nostrae judicium de bonitate, aut malitia operis hic et nunc agendi, est certum; atque firmum. *Dubia* vero, quando mentis nostrae judicium circa bonitatem, aut malitiam operis hic et nunc agendi, aequalibus utrinque rationibus, suspenditur, neque mens nostra in unam potius declinat, quam in aliam;

4. Conscientia item, alia est *Scrupulosa*, cum scilicet mens nullis innixa rationibus, sed vanis tantum suspicionibus agitata, et inanibus mali speciebus delusa, formidat, an peccatum sit, quod revera non est, nisi levis. Alia est *Laxa*, cum mens nostra, ex levissimis, et quidem cupiditati faventibus momentis, judicat, hic et nunc id esse licitum, quod tamen illicitum est.

5. Denique Conscientia, alia est *Probabilis*, quando mentis nostrae judicium, non evidentibus quidem, sed tamen gravibus nititur rationibus, seu aptis ad determinandos viros pios, et prudentes ad assensum, non tamen sine formidine partis oppositae. Alia est *Improbabilis*, cum mentis nostrae judicium, de bonitate, aut malitia operis, vel nullis, vel levibus nititur rationibus.

6. Ex hac doctrina sequitur. 1. Quod numquam licet agere contra conscientiam. 2. Quod nec licet agere semper ex conscientia qualicumque. Ad majorem intelligentiam.

7. Numquam licet agere contra conscientiam, quamvis erroneam *S. Tom.* 22. *q.* 19. *a.* 5. Ergo peccat, qui facit bonum, quod ex conscientia erronea credit malum, aut malum omittit, ad quod, ex erranti conscientia, se teneri putat; in utroque enim casu agit contra dictamen rationis. *Error*, inquit S. Thom., *quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale*. §. Quod. lib. 9. *a.* 5.

8. Licet numquam possimus agere contra conscientiam, non tamen semper licet agere ex conscientia. Thom. d. §. *Quod. lib.* 8. *a.* 12. *Quod agitur contra legem*, quae nimirum lex potuit et debuit cognosci, *semper malum*, *nec excusatum per hoc*, *quod est secundum conscientiam*.

9. Ut ergo conscientia sit recta morum infallibilis regula, debet esse vera, seu legi conformis, vel saltem inculpate presumi vera. Toties ergo peccat homo, quoties conscientiam sequitur legi non conformem, si error, quo conscientia falsa, vera praesumitur, vincibilis sit, seu vinci potuerit,

ut enim conscientia, sit morum regula, debet esse vera, vel saltem, bona fide, presumi vera.

10. Ut conscientia sit morum regula, debet esse certa; hoc est firmiter, et sine formidine partis oppositae, judicare actum, qui eligitur, esse legi conformem. D. Thom. Quod lib. 8. a. 13. *Ex conscientia*, inquit, *obligatur aliquis ad peccatum*, idest *ligatur tamquam reus peccato*, *sive habeat certam fidem de contrario ejus*, *quod agit*, *sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione*. *Cum autem conscientia ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem abducitur*, seu cum est certa, *agens sic*, *non committit se discrimini*, *nec peccat*.

11. Ut ergo licita sit operatio, non sufficit, actionem legi esse conformem, sed certi esse debemus, quod sit legi conformis, et quod dubium excludat, ac formidinem oppositae partis. Conscientia enim dubia, non est morum regula, immo nec ea, quae mere probabilis est, cum neutra excludat formidinem de opposito.

12. Ut conscientia sit morum regula, non est necesse, quod sit solum moraliter certa. Doctrina est Angelici 1. 2. *q.* 96. *a.* 2. *ad* 3. *c.* 9. Non peccat fidelis, qui nullius sibi conscius culpae, bona fide Sacramenta recipit, quae statum gratiae requirunt: Licet enim non habeat certitudinem evidentiae, se esse in statu gratiae, moraliter tamen certus est, ubi conscientia non remordet, bonumque praebet testimonium. *Nunc.*

13. Conscientia dubia, ut dixi, est suspensio judicii de bonitate, aut malitia operis hic, et nunc agendi, quae oritur ex eo, quod mens utrinque rationes vel aequaliter dubias, vel aequaliter ambiguas deprehendat, et qua fit, ut in unam potius partem, quam in alteram non inclinet, idest fit incerta, an licitum sit, vel illicitum opus, quod hic, et nunc agendum occurrit. Igitur.

14. Qui conscientiam habet dubiam, debet se abstinere ab actione, si non sit necessitas agendi, peccatque si alterutram eligat, priusquam dubium deponat. Est comm. cum S. Anton. 1. *P. t.* 3. *c.* 10. Ideo peccant Confessarii, ubi poe-

nitenti, aut consulenti respondent, aliquid licitum, de quo dubitant, an sit: *e. g.* An contractus sit usurarius; an sufficiat ad sanctificationem Festorum Missae soli adesse etc. In dubio vero salutis, dubium ipsum, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deponi debet. In quo casu preces Deo fundendae sunt, et sedulo curare, ut veritas agnoscatur.

15. In dubio salutis, dum urget agendi necessitas, tutior pars est eligenda, in foro conscientiae, et extra materiam justitiae commutativae. Praedicta enim Juris regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, est strictum praeceptum, non consilium; quae habet locum, non solum in dubio facti, sed etiam in dubio juris, ceu, non tantum, cum quis dubitat, an actum fecerit illicitum, sed dum dubitat, an actus eliciendus sit licitus. Canones enim sanciunt in dubiis tutiorem partem esse eligendam, speciatim in dubiis Juris *c. illud*. Peccat ergo, qui postquam duas opiniones oppositas ponderavit, dubius manet, utra verior sit, si non amplectatur eam, quae tutior est, vel ut illam doceat, vel, ut secundum illam poenitentium conscientiam regat, vel, ut ad ejus normam vitam suam instituat.

16. Dum agitur de justitia commutativa, qua quis tenetur alteri quidpiam, aut solvere. aut restituere. *In dubiis melior est conditio possidentis*, si post diligentem disquisitionem, ut detegatur veritas, res adhuc dubia remanet; ut, si dubites, an praedium, quod possides, sit tuum, an alienum nec ne? teneris quidem veritatem inquirere, sed, si adhibita diligentia, dubium remanet, praedium tibi favet, et dirimit dubium. In foro autem externo Judex tenetur ferre sententiam secundum hanc regulam Juris. *In dubiis melior est conditio possidentis*. Sic in dubio, an homo sit excommunicatus, irregularis *etc.* in foro externo pro non tali habendus est. Non sic vero in foro interno, quia ut tutiorem partem sequatur, qui dubitat, an sit excommunicatus, debet se gerere, ut talis. In dubiis, si nulla pars tutior videatur, sed utraque periculosa appareat, et urgeat

agendi necessitas, Deo invocato, eligi debet actus, qui minus cupiditati faveat, aut juri proxime favorabilior erit. Sic mulier, si dubitet de matrimonii validitate, non poterit quidem debitum petere, bene vero reddere, viro suaso suum valere matrimonium.

17. Conscientia probabilis est judicium de bonitate, aut malitia operis hic, et nunc agendi, sed infirmum, et titubans, dubioque innixum. *Clarius*. Conscientia probabilis est judicium, quo mens non evidentibus quidem, sed tamen gravibus ducta rationibus, actum aliquem hic, et nunc eliciendum, licitum esse, vel non, pronunciat, sed ita tamen, ut cum fundamento timeat, ne falsa sit conscientia, quam sequitur. Relictis Probabilistarum placitis, dico.

18. Sola probabilitas, seu opinio, vel conscientia probabilis libertati favens contra praeceptum, non est morum regula ait S. Augustinus contra Aecad. cap. 16. Si enim sola probabilitas sive intrinseca, sive extrinseca sit morum regula, nullum erit scelus, quod tuta conscientia patrari nequeat, quod enim est flagitium, cui ratio aliqua, aut Doctoris alicujus suffragium non patrocinetur, ut satis patet ex tot propositionum censuris. Ubi ergo occurrit sententia probabilis, libertati favens contra praeceptum, neutiquam licet, secundum illam operari, nisi prius fuerit diligenter examinatum, et observatum, an opposita sententia, sit aequa vel magis, vel minus probabilis.

19. Quid sit agendum in concursu duarum opinionum aequaliter probabilium, quarum una favet legi, altera libertati: dico, quod quilibet tenetur illam sequi opinionem quae legi cohonestasit, et consona; nec posse absque peccato illam amplecti, quae libertati favet. SS. Thom. Bonav. Antonin. 1. *P. c.* 10. *p.* 10., *et alii*. Peccat ergo qui *e. g.* post sedulum examen advertens, utrinque validas rationes pro sententiis oppositis, illam omittit, quae pro lege stat, ut eam sequatur, quae libertati favet, quatenus sic cupiditati obsequitur, non rationi.

20. In concursu duarum opinionum, quorum una prob-

bilior est, simul, ac tutior, altera minus probabilis, ac tuta, quilibet sub poena peccati tenetur eligere probabiliorem quae tutior est, seu, quae legi favet, nec potest sequi minus probabilem, quae minus est tuta, seu, quae libertati favet. Hinc conferens Sacramenta, peccat opinionem minus probabilem sequens, relicta probabiliori simul, et tutiori. Judex peccat, et Medicus, omnesque peccant, relicta probabiliori, minus probabilem sequentes. *S. Thom. ibid*.

21. In concursu duarum opinionum, quarum altera est longe probabilior, sed minus tuta, altera vero minus probabilis, sed magis tuta, quid agam?

Not: Duplex potest esse probabilioritas, una Theologica altera non Theologica. Probabilioritas Theologica illa est, quae fundatur in aliquo loco Theologico. *v. g.* in Scriptura, Traditione, Patribus etc. Non Theologica illa est, quae meris ratiunculis nititur, quas humana cupiditas suggerit. Ideo.

22. Operet sequi opinionem probabiliorem, licet minus tutam, in concursu opinionis minus probabilis, licet magis tutae, modo probabilioritas sit Theologica. Sic *S. Anton. P.* 1. *tit.* 3. ut autem probabilioritas sit morum regula, debet, ut dixi, esse Theologica, et nec tenuis, sed longe excedens, adeo ut mens moraliter certa fiat de bonitate operis, excludatque omne dubium. Sic SS. PP. v. PROBABILIORITAS.

23. Demum de Conscientia scrupulosa aliquid. Haec illa est, quae licet certa, vel physice, vel moraliter aliquid esse licitum, levibus tamen conjecturis anxia, suspicatur illicitum esse, quod jam prudenter judicaverat licitum. Hinc conscientia scrupulosa, non est audienda, sed prudenter deponenda. Hinc breviter considerandum, scrupuli exordium; an a Deo; an a Diabulo; an ex defecto scientiae; ex corporis constitutione, qua habita cognitione, Arbiter Theologus remedia praebeat opportuna. Considerandum: 2. an conscientiae remorsus fundamentum habeat, nec ne, si cognoscitur, fundatas esse conscientiae anxietates, non spernendae

sunt, sed illis salubriter attendum. Si inanes, spernendae sunt, nec de illis cogitare prudens erit, conscientia enim scrupulosa cogitando inflammatur potius, quam quiescat etc.

CONSENSUS AD PECCATUM. *Est ille, qui datur ab homine vigilante, plene sui compote, et expeditum habente rationis usum, qui advertit ad malitiam actus, sive omissionis, vel potuit, ac debuit advertere.* Quod si advertere nequivit, ex defectu cognitionis habitualis malitiae, adhuc non excusatur, si ignorantia fuit vincibilis. v. IGNORANTIA. v. PECEATUM.

CONSTITUTIO. Generatim est *Lex scripta*, et alia est *Civilis*, alia *Ecclesiastica*. Prima est, quà Princeps, aut Magistratus, aut Populus sibimet sanciunt; quae si Evangeliis, atque Canonicis Decretis non adversetur, est omni reverentia digna; atque ea Ecclesia saepe contra haereticos, Tirannos etc. utitur.

2. Ecclesiastica Constitutio constat Statutis Conciliorum, Decretis Pontificum, dictis Sanctorum: Quae omnia videre est in Corpore Juris Canonici.

CONSUETUDO. Hic sumitur pro frequentia actuum externorum uniformium, libere factorum a majori saltem parte: et duplex est, *facti*, *et Juris*.

2. Consuetudo *Facti* est ipsemet repetitus actus, seu frequentatus usus actuum alicujus populi, seu Communitatis sine obligatione.

3. Consuetudo *Juris*, nihil est aliud, quam *Jus* moribus constitutum, quod, deficiente lege, pro lege suscipitur.

4. Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum Solemnitates, agere consuerit. Populi, qui debent Officia Divina attendere, saltationibus, et turpibus invigilant canticis. Non solum sibi nocentes, sed et Religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim, ut ab omnibus Provinciis depellatur, Sacerdotum, et Judicum a Concilio Sancto cura committitur. *Decretum Gratiani de Consecr. d. 3. Can. Irreligiosa*. Conc. Tolet. 3. *Can.* Conc. Affric. *c.* 25.

„ Not. Consuetudines, quae ex populi devotione prode-

„ unt, non obligant, nec vim habent legis. *e. g.* Consuetu„ dines salutandi datis horis Deiparam, audiendi Missam, „ diebus non festis. etc. „

5. Consuetudo dividitur. In Consuetudinem *praeter legem, secundum legem, et contra legem.* Consuetudo *praeter legem* est illa, quae reperitur in casibus illis, qui a Jure communi non sunt decisi, et haec obligat in conscientia, ac in foro externo, sicuti obligat lex scripta, dummodo tamen introducta sit a toto populo, aut saniori parte saltem, cum animo se obligandi, seu introducendi obligationem, seu faciendi novam legem.

6. Ad hoc, ut consuetudo praeter legem obliget, requiritur praescriptio, et sufficit decennium, sive consuetudo civilis sit, sive Canonica Ecclesiastica; esto Princeps sit absens.

7. Consuetudo secundum legem, quae non est Juris, sed tantum facti, est illa, quae legem jam praeexistentem supponit, eamque vel in usum deducit, vel interpraetatur.

8. Consuetudo contra legem, illa est, qua lex scripta, vel usu numquam recepta est; vel recepta, usu contrario tollitur. Haec non potest introduci, si fuerit contra *Jus* Divinum, et Naturale. Hinc prava consuetudo fornicandi, blasphemandi etc. numquam admitti poterit contra legem Divinam.

CONTENTIO Est *altercatio verborum, quibus inordinate, quis alteri contradicit.* Est peccatum ex genere suo mortale, sicut coetera omnia, quae sunt contra charitatem, et ex D. Paulo, excludit a Regno coelorum. Est autem mortalis. 1. Si impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, proximi bonum etc. 2. Si fiat cum periculo scandali, vel gravibus maledictis, conviciis etc. His omnibus seclusis, erit venialis, et prudens confessarius advertet simul, et judicabit.

CONTRACTUS proprie dictus, *est pactum, ex quo ultro, citroque oritur obligatio*, seu est *duorum, vel plurium consensus, ultro citroque obligationem pariens*; ut Emptio,

Venditio etc., quae obligatio oritur ex motivo justitiae commutativae post mutuum contrahentium consensum.

2. Contractus, ut valeat. Requiritur. 1. Habilitas personarum ad contrahendum. 2. Capacitas rei, ut subiiciatur contractui. 3. Consensus mutuus, et quidem externo signo expressus. 4. Forma substantialis a Jure praescripta, si quae sit constituta.

3. Contractus dividitur in *Formalem* sive expressum, et ille est, quo duo, vel plures expresse conveniunt de eadem re cum mutua obligatione. In *Virtualem*, seu quasi contractum, idest, cum tacite suscipitur obligatio justtiae ex facto ipso.

4. Dividitur 2. In *Gratuitum lucrativum*, et in *Onerosum*. Gratuitus lucrativus ille est, quo ex una tantum parte oritur obligatio, ut nil petatur ex altera parte, ut *donatio*, *Legatum etc.* Contractus *Onerosus* ille est, quo ex utraque parte inducitur obligatio alterius, ut *Emptio Venditio etc.*

5. Dividitur item Contractus in *Nominatum*, qui non sistit in nomine generali contractus, vel pacti, sed transit in specificum nomen sibi in Jure attributum, ut *Emptio Venditio*, *Locatio etc.* Contractus *Innominatus* ille est, qui proprio, et specifico nomine caret, et hujus quatuor sunt species, idest. *Do, ut des - Do, ut facias. Facio, ut des; Facio, ut facias.* Ab his resilire potest una pars, si altera non impleverit ex jure civili; De Jure vero *Canon.* resiliri non potest, ubi pars parata sit implere, quod sibi convenit.

6. Dividitur insuper in Contractum *bonae fidei*, in quo servari debet non solum id, de quo est conventum, sed id etiam, quod bonum, et aequum Judici videbitur, esto in contractu non expressum. In contractum *Stricti Juris*, in quo agitur rigore verborum, seu Juris scripti, prout scilicet fuit in contractu expressum: In contractum *Nudum*, qui est mera conventio mutua carens fundamento, quod pariat actionem in Foro externo. In *Vestitum*, qui est conventio mutua aliquo innixa fundamento, vi cujus parere potest actio-

nem civilem. Insuper dividitur in Contractum *qui re*, seu qui traditione rei perficitur, et in illum, qui solo perficitur *consensu*. Tandem in *Purum*, cui additur accidens, idest, vel prefixum tempus, vel modus, vel causa, vel demonstratio, vel venditio.

7. Materia Contractus. Sunt omnia illa bona, quorum quis et dominium habet, et administrationem.

8. Omnis contractus validus, etiam nudus parit obligationem in conscientia, licet in Foro externo non pariat actionem. Hinc, qui habuit animum contrahendi, sed cum voluntate expressa se non obligandi, adhuc tamen manet obligatus, si voluntas contrahendi praevaluit voluntati contrariae.

9. Contractus defectu solemnitatis, jure positivo invalidus, non obligat in conscientia, et nullus est in utroque foro. Contractus vero invalidus, vi, metu injusto, vel dolo extortus, vel injuriam continens, ex parte illius, cui juratur, non firmatur juramento. Contractus jure naturali invalidus, nec juramento firmatur, Contractus solo jure positivo irritus, non firmatur juramento, si irritatio facta sit immediate, et principaliter propter bonum commune.

10. Contractus ad *Diem certam*, inducit statim obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante proximum, et praefixum diem, secus de contractu ad *diem incertam*. Contractus *sub modo* obligat statim, nec irritus est, si modus non impleatur, nisi appositus sit sub annullatione Legati, Donationis etc. Est tamen gravis obligatio, ex justitia, talem modum praestandi. Contractus ad *causam* nullus est, si causa finalis non subsistat. *Error* sive falsitas in demonstratione non vitiat contractum, modo demonstratio non apponatur per modum conditionis. Contractus sub *conditione* valet, et obligat, si conditio sit honesta, et possibilis. Conditio autem impossibilis invalidat contractum, et dispositionem, exceptis matrimonio, et dispositionibus ultimae voluntatis. De Contractu trium contractuum, Col-

latitio, Venditionis cum pacto. V. SOCIETAS. Nunc de consensu ad valorem contractus, requisito.

11. Consensus ad valorem contractus debet esse 1. *Verus* seu internus, et mutuus. 2. Debet aliquo signo externo exponi. 3. Debet esse liber, et plane deliberatus. Ergo. 1. Quilibet error, et dolus, calliditas, fallacia etc. circa substantiam rei, vel naturam contractus, vel motivum intrinsecum, ac substantiale, invalidat contractum jure naturae Ergo 2. Error quilibet, et dolus circa qualitatem, qui non det causam contractui, ipsum non irritabit, cum non tollat consensum circa substantialia, unde si rem pluris emeris, quam valeat, valebit et contractus, esto tamen venditor teneatur ad restitutionem excessus pretii, non solum supra summam, sed et supra justum, quo, sublato dolo, res fuisset vendita. Ergo. 3. Error, et dolus circa qualitatem dans causam contractui, proveniens a parte contrahente, contractus esto validus rescindi potest ad nutum decepti, si solvibilis sit, unde non est omnino firmus.

12. Contractus stricte sumptus, ex metu gravi injuste ad extorquendum consensum incusso factus, validus est 1. Jure naturae, quia metus gravis non impedit voluntarium, ac liberum sufficiens ad gravem culpam: Voluntas enim non potest cogi quoad actus elicitos, nisi tollat usum rationis, nec sufficientem deliberationem. Sic Mercator ejectionem mercium potius, quam naufragium, eligit. 2. Contractus factus ex metu etiam respective gravi, injuste incusso ad extorquendum consensum, rescindi potest arbitrio metum passi, unde non est contractus firmus. Si vero Contractus licitus, sit juramento firmatus, non potest rescindi, nisi a Superiore.

13. Nunc expono, contrahendi capaces, et dico. 1. Illi omnes, et soli usu rationis praediti, qui liberam habent bonorum administrationem, seu legitimam facultatem de iis disponendi, capaces sunt, quia contractus est actus humanus, qui solum humano modo perfici potest. Hinc.

14. Sequitur ex se, quod Infantes, amentes, ebrii, fu-

riosi, prodigi, curatorem habentes etc., non possunt valide contrahere. Ergo uxor non valet contrahere, nec disponere de bonis familiae, de dote, ejusque fructibus, valente marito bona illa administrare, rationabiliter invito, dummodo non sit amens, fatuus, vel expresse, aut tacite consentiat, vel recuset administrationem, in quibus casibus, poterit uxor prudenter, et moderate agere.

15. Filius familias, impubes, non obligatur civiliter ex contractu, etiam de bonis castrensibus, et cum consensu Patris peracto. Si pubes sit, etiam sine Patris consensu, contrahere, et obligari civiliter potest. Pupillus quoque pubertati proximus, et minor obligatur tum civiliter, tum naturaliter, si cum consensu Tutoris, et Curatoris contrahat de bonis mobilibus non pretiosis, non vero de immobilibus. Pupillus pubertati proximus, sine nutu Tutoris, valide contrahit, si sit in Commodum, quia Curator ideo datur, ut in damnis subveniat, simul et, ut in prosperis non offendat.

16. Omnes contractus in specie v. suis locis; et sunt Mutuum: Usura: Mons Pietatis: Commodatum: Pignus: Depositum: Solutio indebiti: Stipulatio: Assecuratio: Promissio: Fidejussio: Syngrapha: Emptio: Venditio: Monopolium: Census: Cambium: Conductio: Locatio: Emphiteusis: Livellum: Feudum: Societas: Mandatum: Ludus: Testamentum: Legatum. Transactio etc. v. SOCIETAS.

CONTRITIO generice sumpta. *Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. Trid. sess. 14. c. 4.*, quae ut ad remissionem mortalium valeat sive *cum*, sive *extra* Sacramentum esse debet *Interna*, *Supernaturalis*, *Universalis*: *Efficax*: *Apretiative Summa*.

2. Innumeris datum vale quaestiunculis Casuistarum, fidelium animas obscuritate magis, quam claritate fundentibus; *Trid.* duce rem totam brevi metior calamo, sic: Contritio, alia est *perfecta*, alia *imperfecta*. Perfecta illa est, quae concipitur ex actu, sive motivo charitatis perfectae, unde est dolor, et detestatio de peccato commisso cum proposito

non peccandi de cetero, propter Deum super omnia dilectum propter se, hoc est propter infinitam amabilitatem suam. Imperfecta vero, quae et Atritio nominatur, illa est, quae ex alio motivo supernaturali, quam charitatis, concipitur, ut ex peccati turpitudine, ex gehennae, et paenarum metu etc. *Conc. Trid. ib.* Cum habeant diversa motiva, differunt etiam specie, et ex parte effectus, quoad cetera vero conveniunt.

3. Contritio perfecta, semper justificat extra Sacramentum, per modum scilicet dispositionis ultimae, licet non sine voto Sacramenti. *Trid. ib.*, quia perfecta Dei dilectio, est perfecta ad Deum conversio, quae tamen non reconciliat perfecte Deo, nisi apposita conditione, et voto Sacramenti.

4. Contritio formalis, et virtualis, sufficiens ad remissionem peccati mortalis, est necessaria necessitate medii ad salutem *Trid. ib.* quia sine illa, etiam inculpate omissa, obtineri nequit remissio peccati mortalis, ac proinde nec salus. Contritio autem sufficiens ad peccati laethalis remissionem, est contritio, seu attritio ex amore Dei incohato, seu imperfecto cum Sacramento.

5. Contritio formalis est etiam necessaria necessitate praecepti: Extat enim Div. praeceptum eliciendi formalem contritionem. *Trid. ib.*

„ *Not.* Contritio, quae necessaria est, tam necessitate
„ medii, quam praecepti, debet reconciliare peccatorem
„ cum Deo, ac proinde est perfecta contritio extra Sacra-
„ mentum, et saltem attritio conjuncta cum Dei amore imper-
„ fecto, seu amore Spei, et Sacramento. Nam contritio non
„ exigitur, nisi ad placandum Deum, ad Dei injuriam pro
„ viribus reparandam, et hominem Deo reconciliandum.

6. Vi praecepti contritionis tenemur. 1. Jure Div. et Naturali, ad non differendum saltem notabiliter contritionem sufficientem ad justificationem post mortale peccatum, ita ut notabilis ejus dilatio sit nova laethalis plaga, ex *Eccles.* 5. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die, in diem, subito enim veniet ira illius, et in temporè vin-*

dictae disperdet te. 2 Quisque tenetur lege naturali Divina contritionem perfectam elicere in mortis articulo: Hoc enim dictat ratio, cum agatur de salutis negotio.

7. Ad remissionem venialium, etiam in justo, aliqua expetitur poenitentia, seu displicentia, ac retractatio vel formalis, vel saltem virtualis. *S. Thom. 3. p. q.* 87.

8. Ad valorem ergo Sacramenti, et ejus effectum requiritur. 1. Contritio *formalis*, qualis generatim est descripta, cum Contritio sit pars Sacramenti *Trid. ib.* Debet 2. esse *interna*, non enim necesse est, ut sit sensibilis. 3. *Supernaturalis*, idest facta ex motivo supernaturali, per auxilium gratiae, quae praestolatur. *Trid. ibid.* 4. *Universalis*, idest, ut dolor se extendat ad omnia peccata commissa, et adsit propositum omnia omnino imposterum vitandi, propter motivum omnibus etiam oblitis commune, *Ezech.* 18. 5. *Efficax*, et absoluta, ita ut excludat omnem affectum ad quamcumque gravem culpam, et contineat propositum firmum servandi omnia mandata, et omnia adhibendi media, ad fugam peccati, et mandatorum observantiam. *Trtd. ib.* 6. *Appretiative summa*, ita ut homo oderit, et detestetur peccatum super omnia mala, sitque paratus omni bono carere, et quodvis malum pati, quam in culpam relabi gravem, et Dei amicitiam cunctis omnino rebus anteponat. 7. Ut sit cum spe *veniae* conjuncta. *Trid. ib.*

9. Ad justificationem in Sacramento poenitentiae obtinendam, riquiritur, ut Contritio aliquem includat amorem Dei, non tamen qui extra Sacramentum justificet. *Illumque tamquam omnis justitiae fontem, diligere incipiat Trid. sess.* 6. *c.* 6. Quanto magis ergo talis amor in Poenitentiae Sacramento requiretur, quae ex eodem Concilio est *laboriosus baptismus*?

10. Contritio necessaria, elici debet ante absolutionem, alioquin absolutio, quae est forma, non applicaretur materiae essentiali, quae sunt contrictio, et confessio, et sic Sacramentum nullum esset, et absolutio inanis. Moneat proinde Confessarius poenitentem suum, ut semper Confessioni

contritionem praemittat, tum propter periculum, tum quia Sacramentalis confessio, ex contritione manare debet, ut sit *dolorosa*

„ Not. In praxi requiritur nova contritio, quoties nova da-
„ tur absolutio, quia nova forma novam exigit materiam
„ proximam. Esto autem attritio concepta ex metu gehennae
„ includens amorem Dei appretiative, etsi non perfectum,
„ cum spe veniae absolute sufficiat ad justificationem impe-
„ trandam, in praxi tamen adducatur poenitens ad perfectam
„ contritionem eliciendam, cum sit actus Deo gratior, et pe-
„ nitenti utilior v. TIMOR SERVILIS.

CONTUMACIA *Est erga Judicem, vel Praelatum commissa inobedientia*. Haec varie a Juribus coercetur. Nunc enim litis damnis, nunc mulcta, nunc expensarum refectione, et rei sequestratione, vel Ecclesiasticae sententiae innodatione, ob contumaciam suam conventus afficitur. v. *Canonist.*

CONTUMELIA. *Est injusta inhonoratio personae praesentis, seu laesio alterius honoris sine justa causa, coram eo facta dictis, seu factis etc.* Hinc, verba contumeliae, convicii improperii prolata non animo jocandi, vel corrigendi, sed inhonorandi proximum sunt ex se peccata gravia, si adsit plena deliberatio ex parte agentis, et gravitas materiae ex parte rei: erunt vero levia, si interveniat vel indeliberatio, vel levitas materiae.

2. Verba contumeliae, convicii, improperii, prolata animo jocandi, vel corrigendi, modo id fiat prudenter, non sunt peccata. Verba dura, et contumeliosa, ironica etc. contra peccatorem non sunt peccata, si judicentur neccessaria ad peccatoris vel errorem corrigendum, vel ad terrorem incutiendum, vel ad conversionem obtinendam etc. *S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 1. ad 2.*

CONVICIUM. Ex *D. Thom. ib.* fit per repraesentationem defectus poenae, et improperium, quod dicitur, cum aliquis injuriose reducit ad memoriam auxilium, quod contulit alieni necessitatem habenti, vel patienti. Positis conditionibus, non vacat gravi culpa v. CONTUMELIA n. 2.

CORPORIS BEATI dotes . v. DOTES .

CORRECTIO FRATERNA . *Est admonitio, qua quis proximum ex charitate conatur avertere a peccato* .

2. Haec differt 1. a correctione judiciali, quae fit publica auctoritate , et potius ordinatur , propter commune bonum , ad delinquentis punitionem , quam ad ejus emendationem, estque *actus justitiae vindicativae* . 2. A correctione Paterna, qua Superior delinquentem corrigit , ut resipiscat , et tollatur scandalum .

3. Correctio fraterna non est tantum de consilio , sed etiam de praecepto , obligatque sub gravi , positis circumstantiis , adeout quilibet charitatem habens sive subditus sit , sive Praelatus, sive inferior, sive inimicus teneatur sub praecepto fratrem suum peccatorem corrigere , *S. Thom.* 2. 2. *q.* 33. *a.* 3. Hoc inquam praeceptum omnes adimplere tenentur etiam aequales , inferiores , Laici , peccatores , cum utiliter corrigere possunt sine gravi damno . *S. Thom. ib.*

4. Ut autem hoc praeceptum obliget , requiritur . 1. Ut proximus judicetur prudenter peccasse , vel esse in proximo peccandi periculo . 2. Ut sit probabilis spes emendationis . 3. Ut non adsit alter idoneus aut dignitate , aut actate superior , qui commodius possit , et velit corrigere . 4. Ut opportuno tempore fiat , cum scilicet fructus probabiliter sperari potest . *S, Thom. ib.*

CORRECTIO JURIDICA . Non solum est de praecepto charitatis, sed et de praecepto justitiae , et ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 33. *a.* 3. . Est actus justitiae , per quam intenditur bonum commune , et pertinet ad solos Praelatos , qui non solum habent admonere , sed etiam . puniendo , corrigere . Hinc

2. Peccant Judices tam Ecclesiastici , quam civiles , qui dissimulant peccata subditorum , quos corrigere tenentur : qui in correctione juridica incidunt , in acceptionem personarum , reos absolvunt , et damnant innocentes contra justitiam : qui juridice non corripiunt , et puniunt etiam publice peccata, quae publice commituntur, qui dimittunt correctionem juridicam , propter perturbationem ejus , qui corripitur etc.

CRIMEN, ut impedimentum Matrim. v. IMPEDIMENTUM *n*.5.

CRIMEN FALSI. *Est mendacium oppositum publicae fidei, quo fides publica laeditur*; Est culpa gravis, praecipue, cum res deducta est, aut deduci potest ad forum contentiosum, et in utroque jure severis punitur poenis.

2. Crimen falsi tribus comittitur modis 1. Per *dictum*, ut si testis falsum deponat, ut fecerunt impii viri, qui falsa deposuerunt contra Christum. 2. Per *scriptum*, ut si quis falsa confingat instrumenta, aut falsis utatur, aut vera abscondat, aut supprimat. 3. Per *factum*, ut si quis monetam adulterinam cudat, aut bonam corrumpat. Si pondera minuat, vel mensuras, si sigillum falsum apponat etc.

CRUDELITAS. *Est, quando quis ex animi feritate propensus est ad exigendam poenam ultra meritum culpae*. Opponitur virtuti temperantiae, et est ex genere suo mortale peccatum, cum charitati, et justitiae repugnet. *S. Thom.*

CRUX in qua Christus pependit, lancea, clavi, quibus manus, et pedes Christi Cruci affixi sunt, omniaque alia instrumenta, quibus Christus salutem nostram est operatus in Cruce, magno in honore semper ab Ecclesia habita sunt. Est omnium SS. Patrum sensus.

2. Quo cultu Crux adoranda sit? Resp. Juxta aliquos eadem adoratione Crux adoranda, qua Christus, quia Christus una cum Cruce unum efficit, causa enim principalis, ut ajunt, et instrumentalis, unum et adequatum efficiunt principium. Juxta alios adoratur solum adoratione respectiva, quia aspersa Christi sanguine, Christum vividius in mentem revocat, quam aliae Cruces, quae ipsam representant. V. ADORATIO. IMAGINES. SIMBOLA *etc.*

CULPA JURIDICA, sive civilis, idem est, ac Omissio alicuius diligentiae, unde sequitur quodpiam damnum proximo, et dividitur in *latam, levem, et levissimam*: Lata est omissio ejus diligentiae, quam alii ejusdem metri solent adhibere, et haec in Jure dolo malo aequiparatur. Levis est ejus diligentiae omissio, quam homines diligentiores in eadem re solent adhi-

bere. Levissima est omissio ejus diligentiae, quam homines adhibent diligentissimi.

CULPA THEOLOGICA. *Est actus difformis legi, et peccatum, quo Deus offenditur, sive mortale sit, sive leve.*

CULTUS DISPARITAS V. IMPEDIM. *n.* 6.

CULTUS V. ADORATIO, IMAGINES, SYMBOLA etc.

CURATOR. *Est qui minori assignatur, praecipue in ejus bonorum curam.* In hoc Curator differt a Tutore, qui principaliter datur in curam personae, et bonorum impuberis. Curator vero in curàm bonorum, et personae puberis.

2. Curator tenetur recte, et fideliter, bona minoris administrare, ejus personam tueri, ejusque educationi scrupolose invigilare v. TUTOR.

CURIOSITAS *Est inordinatus appetitus cognoscendi.* Potest essemortalis ratione objecti, ut legere libros prohibitos, velle scire arcana Confessionis etc. 2. Ratione medii vel illiciti, vel superstitiosi. 3. Ratione nocumenti, vel damni. 4. Ratione injuriae gravis, *uti aperitione litterarum etc.*

CUSTODES seu PRAEFECTI circa mercès importandas, et exportandas in confinibus, vetitas exportari, seu importari permittentes, peccant mortaliter, et sunt perjuri, non tamen tenentur restituere poenas, quas solvissent tragressores, quia poena in foro conscientiae non debetur ante condemnationem, licet aliqui contrarium sentiant.

D

DAMNIFICATIO illa *est, per quam alteri damnum culpabiliter infertur, vel bonum impeditur, sive cooperando per se, sive per aliud medium*. Hanc explicant definitionem appositi versus:

Jussio, Consilium, Conseusus, Palpo, Recursus
Participaus, Nutus, non Obstans, non Manifestans.

2. Omissis, quas pouunt Theologi distinctionibus, de damnificatione *lucrosa*, et *non lucrosa*: de *inculpata*, et *culpata*, cu'pa, vel Theologica, vel civili tantum ad tuto cognoscendum quando, vel non teneatur damnificator ad restitutionem, hac praxi, reor, posse quaecumque solvi dubia. Ceu.

3. Si dans, opponeus, cooperans ad damnum proximi sui, non est causa damni, quod infertur, numquam tenetur ad restitutionem: Si vero est causa damni, tunc tenetur ad restitutionem, quoties est contra justitiam. Sit exemplum: tenetur ille in foro conscientiae reparare illatum damnum, quod causavit, nedum per damnificationem culpatam, culpa Theologica, sed etiam culpa civili, non tamen ante Judicis sententiam. Incapax doli, seu culpae theologicae in nullo foro tenetur ad resarciendum damnum. Si debitam adhibuit diligentiam pro illo avertendo. Si causavit, utendo jure suo. Si casu fortuito, evenit, et praevideri, nec evitari potuit *c. cum gratia*.

DAMNUM EMERGENS: Duo sunt tituli extrinseci, ob quos licet aliquid in contractibus ultra sortem exigere, quo nomine sumuntur. *Interesse* scilicet, *Lucrum cessans*, *Damnum emergens*.

2. Damnum emergens est, cum quis in bonis, jam aquisitis, jacturam patitur, quia mutuat; ut si pecuniam refectioni aedium, vel solutioni debitorum destinatam, alteri mutuat hanc petenti, inde fit, ut aedes deteriores fiant, vel

corruant; vel si ipse cum usura cogaris pecuniam accipere, ad debita solvenda, quilibet enim habet jus damnum vitandi, et nemo tenetur cum proprio damno alteri beneficium praestare, nisi in tali sit constitutus necessitate, ut quisque, etiam cum tali damno, teneatur ex justitia, vel charitate subvenire, dummodo tamen damnum proprium sit minus: et valet in Contractibus, non in obligationibus respicientibus bonum proprium, ut patet in milite, custode etc.

DEBITOR. *Ex com. sent.* debita solvere debet, et ex bonis propriis. Hinc consequitur. 1. Quando bona debitoris, in solutionem omnibus sufficiant creditoribus, non est opus ullo ordine, cum omnibus sit satisfaciendum: secus vero, hic ordo est servandus: Cum res aliena extat in se, restitui debet Domino, nec potest aliis in solutionem dari, quia est Domini, et debitor debet ex proprio solvere, non alieno: Unde si ignoratur Dominus rei in se existentis, comodatae, Depositae etc., vel ejus haeres, haec in pauperes impendi debent, vel in alia pia opera etc.

2. In vigore justitiae, res vendita Creditori extans apud debitorem non videtur reddi debere venditori in damnum aliorum creditorum, nisi habeat praelationem. Sic Jurisperiti. Tamen res venditae, quae extant apud emptorem, debent ex quadam aequitate reddi venditori. *S. Thom. et alii.*

3. Ex bonis ergo debitoris solvi debent prius impensae pro funere debitoris. 2. Debita certa, idest, quorum cognoscitur creditor, inde incerta, quorum creditor ignoratur. 3. Debita ex titulo oneroso solvi debent prius, quam ea, quae ex titulo gratuito. 4. Solvendum prius creditori hypotecham habenti, quam non. 5. Inter Creditores hypotecharios, prius ei est solvendum, qui ordine est prior. 6. Post hypotecharios Creditores, sive reales, solvendum est aliis Creditoribus personalibus hypothecam non habentibus. 7. Inter hos primum obtinet locum, ille, qui habet praelationis privilegium, ut uxor in bonis mariti, ratione dotis. Hinc aliis solvendum ex titulo oneroso etc.

4. Non licet Creditori prius petenti solvere cum damno

illius, qui habet hypothecam priorem, vel privilegium, propter injuriam, quae fieret, et posset recuperari solutum; secus autem, si hoc in judicium eveniat, quia lex, et sententia Judicis ei dat praelationem.

5. Debitor omnibus solvere non valens, uni soli solvens non habenti jus praelationis, hic illi restituere tenetur, qui habet. Hinc debitor non potest uni totum solvere debitum, si non sit par solvendis aliis, qui pariter, nec privilegium habent, nec hypothecam.

6. Qui aliquid gratis, vel cum onere accipit ab eo, quem scit exinde reddi impotentem ad debita solvenda, peccat contra justitiam, et accepta restituere tenetur, licet eum ad id non induxerit, v. RESTITUTIO. SOLUTIO *etc.*

DEBITUM CONJUGALE. Conjux sub mortali tenetur reddere debitum conjugi petenti serio, cum nulla illud denegandi intervenit justa causa, et rationabilis, peccatque *toties*, *quoties* negat.

2. Dixi advertenter, cum nulla intervenit justa causa, nam conjux innocens potest debitum denegare adultero conjugi: item si conjux jure petendi privatus sit ob incestum cum consanguinea in primo gradu commissum, vel in secundo, si sodomiae, vel bestialitatis crimine sit inquinatus, si ex tali redditione periculum grande salutis corporalis instet, ut, si petens sit peste, vel lepra, aut alio malore confectus ex periculosi partus experienti, accedente Medicorum judicio, cum timetur periculum mortis probabile, vel abortus, cum debitum petitur in amentia, vel furore, vel ebrietate etc. cum nimis frequenter, et immoderate petitur, cum publice exigitur. Denegari potest, si duos elapsos post menses nondum consummatum si matrimonium, cum ambo unanimi consensu ante, vel post Matrimonium consummatum, continentiam voverunt etc.

3. Non potest vero denegare, eo quod alter sit denunciatus excommunicatus, vel ob timorem nimiae, et inopis venturae prolis, ex quo petatur diebus festis, vel Sacrae Communionis. Leg. *Bened. XIV. l.5. de Synod.*, ubi di-

citur, id esse consilii non praecepti. Nec denegari potest, sub praetextu, quod conjux affinitatem contraxit spiritualem, proprium filium in casu extremo baptizando, vel quod affinitatem contraxerit, ratione incestus, vel adulterii non sponte; sed coactionis vi, vel ignorantia facti commissi.

4. Debitum ergo conjugale licite petitur, et redditur, etiam si mulier sit praegnans, absque periculo abortus, etiam si sit lactans, etiam dum est puerpera; non tum est menstruata, quia ex D. Thom. *in* 4. *dist*. 41. *q. unic. a.* 2., esset ad minus peccatum grave veniale. Insuper licite petitur, et redditur, etiam non servato debito concumbendi modo, dummodo, rationabilis adsit causa, et absit periculum effusionis extra vas, secus prohibitum est. v. MATRIM. IMPEDIM. *etc.*

DECALOGI PRAECEPTA. In duplici sunt differentia. Alia enim sunt *affirmativa*, alia *negativa*. Prima obligant semper non ad semper; quia non semper tenemur actu amare Deum, et proximum. Secunda obligant semper, et pro semper, quia semper tenemur actu abstinere ab offensa Dei, et proximi.

2. Decalogi pracepta sunt decem, hisce contenta motibus. 1. Unum Deum cce. 2. Nec jures vana per ipsum: 3. Sabbata sanctifices. 4 Habe in honore parentes. 5. Non occisor eris. 6. Moecaus. 7. Fur. 8. Testis iniquus. 9. Alterius nuptam. 10. nec rem cupies alienam. *Horum explanationem suis locis sparsm.*

DECIMA. *Est aliqua quantitas bonorum temporalium, debita Ecclesiae ministris in ipsorum subsidium, et sustentationem*. Cum enim isti spiritualia seminantibus ministant, rationabiliter ipsi quoque metere temporalia debent. *Dignus est enim Operarius mercede sua*. Hinc.

2. Decimae solvi debent ex justitia, et Religione, de Jure naturali, Divino, Ecclsiastico, secundum receptam consuetudinem, et ad restitutionem tenentur, qui eas non solvunt integras, vel solum dedeterioribus. Conc. *Lat* 2. Jus Canon. *De Decimis*. Trid. *ses*. 25. *c.* 12. praecipit fraudantes deci-

cimas, non absolvendos, nisi praevia restitutione, et possint excommunicari; *ibid.*

3. Decimae, aliae sunt *praediales*, quae solvuntur ex terrae fructibus, ut oleo, frumento etc. Aliae sunt *personales*, quae solvuntur ex fructibus, quos homo sua aquirit industria, ut venatione, piscatione etc. Aliae sunt *mixtae*, quae utrumque participant, ut, quae solvuntur ex animalium foetu etc.

4. Modi, quibus aquiri potest exemptio a solutione decimarum sunt duo. Apostolicum Privilegium, et praescriptio.

v. OBLIGATIO SUSTENTANDI MINISTROS.

DECRETUM, pro meo instituto. Decreta Summorum Pontificum Canonibus Conciliorum pari potestate exequuntur. Nam, si demum hodie probatur, quod Sedes Apostolica approbavit, et quod illa respuit rejicitur, multo magis, quae ipsa pro catholica fide, pro sacris dogmatibus, diverso tempore scripsit, debent ab omnibus omni reverentia recipi.

DEDICATIO ECCLESIARUM initium habuit an. 485

DEDICATIO ECCLESIAE. Praeter praeceptum a Deo Moysi datum, ut Chrisma conficeret, quo inungeret Tabernaculum in Dedicatione, et Arcam Testamenti; Salomoni quoque, ut perficeret templum cum Altari, et reliqua ad Divinum cultum peragendum consecraret. *l.* 3. *arg. c.* 1. Tamen in Ecclesia Romana primus (post S. Silvestrum) hanc institutionem sanxit Felix Papa IV. Rursus in civitate quadam Baruthi Provinciae Syriae, cum Judaei quamdam Imaginem Jesu Christi Crucifixi pedibus conculcarent, et latus ejus perforarent mox inde sanguis manavit, et aqua: hoc viso, vehementer mirati sunt Judaei, et eo magis, cum eorum infirmos hoc sanguine delinitos, videbant sanari. Propter grande hoc miraculum, ordinavit Ecclesia memoriam fieri Dominicae Passionis quinto Kal. Decembr., e eadem ratione consecrata est Ecclesia in honorem Salvatoris Romae, ubi quaedam ampulla cum illo sanguine asservatur, et solemne festum quinto Idus Novembris per totam universam Ec-

clesiam agitur. *Durand. l. 1. de Ecclesiae Dèdicatione* cap. 6. n. 2.

DEFENSIO ECCLESIAE[1]. Principes Saeculares possunt, immo debent condere leges circa et personas, et res sacras, modo id faciant in suppetias Ecclesiae, non ut Doctores Fidei, sed ut Defensores, non ut conditores Canonum, sed ut Vindices. Ideo.

2. Principes possunt, et debent, non quidem verbo insistere, sed Praeconibus Verbi Dei, suppetias ferre, eosque regia protectione fulciri.

3. Possunt, et debent insistere Conciliis, quando sunt necessaria, convocandis, opem ferre iisdem Conciliis, dum actu habentur, reprimendo contumaces haereticos; ubi vero finita sunt, executionem eorum sedulo procurare, poenas infligendo temporales his omnibus, qui ausu temerario contraire praesumpserint.

4. Possunt leges speciales ferre circa eas omnes materias, circa fidem, circa mores, circa disciplinam, tamquam accessorias ad Leges Ecclesiasticas jam conditas, ut sic efficacius executioni mandentur; quae leges, non Canones condant sed conditos foveant, atque custodiant.

5. Possunt Principes Saeculares, ut Ecclesiae Tutores, immo debent Personis Sacris injuste vexatis adjuvari, et defendere, Canonum violationi, et bonorum Ecclesiasticorum direptioni fortiter se opponere etc. *vid. alibi*.

DEFLORATIO v. STUPRUM.

DEGRADATIO. *Est poena Ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum, et solemniter privatur non solum omni officio, et beneficio Ecclesiastico, sed etiam privilegio Canonis, et Fori, retento solo charactere.*

2. Degradatio duplex est. *Verbalis*, quae et depositio nuncupatur, est illa, quae fit per solam, et simplicem sententiam, qua Clericus criminosus ab Ordinibus Clericalibus, seu ab eorum executione depositus perpetuo declaratur, ita ut censeatur privatus omni ordine, et munere Clericali, et hoc ipso, etiam officio, et beneficio. Per hanc tamen non amit-

tit privilegium Fori , et Canonis, nec characterem impressum . Et Clericus sic degradatus , adhuc conficit Eucharistiam , etiamsi sit haereticus, sicut etiam valide absolvit moribundum in mortis articulo. Et si ex aliqua justa causa, denuo restituatur ad Ordines , non debet de novo Sacris insigniri , quia adhuc dicitur Clericus, esto non sit vere in eadem dispositione, et dignitate constitutus , sicut ante degradationem . *Barbosa*, *et alii*.

3. Degradatio *realis*, seu *actualis* est, cum post depositionis sententiam , incorrigibilis Clericus actualiter privatur, exuitur , spoliatur omni Ordine, munere, officio, beneficio, privilegio fori, in quantum eiicitur a Foro Ecclesiastico; et traditur Foro Saeculari, puniendus ac si esset laicus, juxta leges civiles, de patratis delictis, quamvis , dum Curiae Saeculari traditur, debeat Ecclesia efficaciter intercedere pro eo, ut citra mortis periculum , in eum sententia moderetur . Et sic amittit privilegium Canonis, adeo ut ejus invasor, aut percussor, non incurrat excommunicationem , contra Clericos percutientes, latam . Non privatur tamen charactere, utpote indelebili ; neque potestate valide consecrandi , utpote simpliciter impedibili : neque facultate valide absolvendi moribundum in mortis articulo, cum nulla tunc sit casuum reservatio . Nec liberatur ab onere horas recitandi Canonicas, aut perpetuam servandi castitatem . Utrum vero ad Triremes damnatus ad Divinum Officium recitandum teneatur ; res dubia est, et usque hodie , quod sciam , nec Sac. Congr. Conc., nec Pontifices definiverunt .

4. Crimina , per quae verbaliter degradari potest, sunt, Adulterium , Concubinatus , Simonia notoria, Stuprum, Incestus , Furtum , Perjurium , Homicidium , aliaque , his, graviora delicta , ut ex *C. Clerici* . Crimina vero , ut deveniatur ad degradationem actualem , sive realem , sunt: Haeresis, Crimen insidiarum , et conspirationis in proprium Episcopum, Crimen assassinatus in Clerico, Incorrigibilitas Clerici; post servatos aliarum poenarum gradus , Crimen nefandum contra naturam , Crimen non Sacerdotum , qui audent Missas celebrare, Crimen eorumdem non Sacerdotum ,

qui audent confessiones excipere Sacramentales. Haec omnia intelliguntur, posita auctoritate a Jure Canonico expresse concessa, quae, in certis casibus, numquam intelligitur concessa,

5. Ad degradationem, et depositionem faciendam, statuit *Trid. sess.* 13. *c.* 4. *de Reform.* Ut adversus Clericos etiam in Sacris Ordinibus constitutos, ad *verbalem* depositionem procedere possit Episcopus, vel per se ipsum, vel per illius in spiritualibus Vicarium Generalem. Ad *actualem* vero atque solemnem, per se ipsum, non adhibito numero Episcoporum a Canonibus praefinito, sed sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum Mitrae, et Baculi habentibus, ubi comode queat; aliquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate, et scientia sint comendabiles. Haec degradatio fit, spoliatione vestimentorum sui Ordinis, ac Vasorum Sacrorum, ac Tonsurae, et ut dixi, traditione Judici Saeculari cum protestatione contra mortis periculum.

DELECTATIO MOROSA. Inter peccata luxuriae non consummatae, locum habet, et *est consensus in complacentiam rei cogitatae sine intentione eam exequendi*. Dicitur morosa, non a temporis mora, sed post advertentiam voluntatis: Duplex est; *Comissionis*, cum quis provocat in se appetitum horum actuum. *Omissionis*, cum quis actus venereos, non refraenat, non cohibet.

2. Ad hoc, ut sit peccatum mortale, requiritur primo ut id, circa quod versatur, sit mortaliter peccaminosum: Ut advertat, talem se habere delectationem: ut post plenam advertentiam, non expellat, vel non conetur expellere.

3. Hujus delectationis objectum duplex est. *Ipsa cogitatio*, cum quis eam suscipit, discendi, et instruendi causa: In his animus naturaliter delectatur absque peccato. *Res cogitata*, cum suscipitur causa voluptatis, et tunc semper est peccatum. Hinc, oscula, tactus, etc. nisi ordinem dicant ad conjugium, posita voluptatis causa, semper sunt peccata, inter conjuges quoque. Sic dicatur de lectione, locutione ad malum finem etc. *Trid. sess.* 5. *c.* 5. *S. Thom. q.* 15. *de verit. a.* 4.

DELICTUM. V. POENITENTIA.

DENUNCIATIO. *Est criminis delatio ad Superiorem, e t) fieri non possit, nisi monitione praemissa*. Hac in re sit regula certa. Si delictum est contra fidem, denunciatio sine monitione semper est facienda: Si vero est contra tertium, facienda est, quoties damnum imminet.

2. Sciens per naturalem secretum, *non per confessionis sigillum*, aliquem patrasse delictum, in S. Inquisitionis Edicto contentum, tenetur denunciare, etiam emendatione secuta. Sic dicatur de proditione Superiorum, Patriae etc.

3. Denunciandi sunt, non solum omnes illi, qui sub Edicto S. Univers. Inquisitionis nominantur, sed et omnes, et singuli, quos denunciandos esse praecipiunt Edicta universalia, et particuleria Ordinariorum Cujuscumque Dioecesis sunt diligenter attendenda, et observanda omnimodè.

4. Ad denunciandum ex vi Edictorum, tenentur omnes singulae personae sive mares, sive mulieres plenum, et perfectum rationis usum habentes, sive Seculares, sive Moniales, et Regulares cujuscumque gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae existant, et quaecumque dignitate, et auctoritate, etiam maxima, fulgeant.

DENUNCIATIO MATRIMONII v. PROMULGATIO.

DENUNCIATOR, et ACCUSATOR differunt inter se. Accusator defert Judici crimen ad vindictam, et bonum commune cum obligatione crimen probandi. Denunciator defert crimen praecipue ad emendationem rei, vel ad bonum commune sine obligatione illud probandi.

„ *Not*. Denunciatio est criminis latentis facta Judici re-
„ latio, non observata formula accusandi; et triplex est.
„ Evangelica, quae fit Praelato tamquam Patri, qua rogatur,
„ ut paterna sua auctoritate peccantem fratrem ad salutarem
„ poenitentiam excitet, ut cum Uxor occultum Mariti adul-
„ terium Sacerdoti denunciat. Sic *Can. si peccaverit*: Ca-
„ nonica, qua peccator denunciatur Ecclesiastico Praelato,
„ ut poenis Canonicis peccatorum ad poenitentiam excitet,
„ ut, si quis denunciet eos, qui volunt in gradu prohibito

„ matrimonium inire. Denunciatio civilis est, qua reus denuncia-
„ tur Judici laico, ut malos puniat, et pacem tueatur publicam,
„ ut, cum quis denunciat malefactores etc. In denunciando er-
„ go, denunciatio Evangelica debet praecedere Canonicam, et
„ Canonica Civilem. Civilis vero denunciatio grandi indi-
„ get cautela, nec facienda absque viri probi consilio.
Hinc.

2. Accusare tenentur, vel denunciare, qui ad hoc sunt deputati, vel stipendium accipiunt, ut Fiscales, Custodes vel Civitatis, vel agrorum, vel Nemorum etc.

3. Privatus vero accusare, vel denunciare tenetur etiam citra Superioris praeceptum, quando crimen est notorium, et putatur continuandum, ut haeresis, falsae monetae coniatio, etc.

4. Qui crimen probare nequit, nec debet accusare, et in dubio desistere debet.

DEPOSITARIUS. Rem sibi creditam debet semper inspicere uti suam, ut eam custodiat; debet vero eam quasi non suam inspicere, ne eam contrectet contra expressam, vel tacitam deponentis voluntatem. Enimvero neque proprietas, neque usus rei conceduntur Depositario, sed custodiendi solum obligatio praecipitur.

2. Depositarius peccat, et ad restitutionem tenetur, quoties ex ejus dolo, vel negligentia damnum aliquod deponenti enascitur. Quia est in culpa v. g. Si res deposita vel pereat, vel fiat deterior; si non adhibeat tantam curam, quantam pro re sua, si dolose distrahat, si re deposita utatur contra exprpssam voluntatem deponentis, vel tali usu lucretur: tenetur reparare damnum etc.

3. Depositarius, non peccat, nec ad restitutionem tenetur, quoties, seclusa ejus negligentia, et dolo, damnum aliquod deponenti evenit, ut, si res deposita pereat casu, incendio, innundatione; si haeres scriptus bona fide rem distrahat; si utatur re deposita, cum expressa, vet tacita Domini voluntate, et si aliquid lucretur, sibi poterit retinere v. SEQUESTRATIO.

DEPOSITUM. *Est contractus, quo alteri res custodienda committitur, ab eoque sucipitur, ut eadem non specie tantum, sed numero saltem ut plurimum, reddatur.*

2. Depositum duplex est. *Judiciale*, cum res aliqua litigiosa committitur tertio, ut eam custodiat, donec, cognita causa, constet, cui debeatur. *Privatum*, quando res committitur apud privatam personam, cui fidimus.

3. Persona quaelibet, cui prudenter fidere possumus, potest depositum servare; res vero quaelibet, quae custodiri potest, est materia depositi v. DEPOSITARIUS.

DEROGATIO LEGIS v. IRRITATIO

DESIDERIUM MALUM. quod *est affectus voluntatis in rem malam cognitam*, si est cum intentione eam exequendi, dicitur *efficax*, secus, *inefficax*. In primo casu, semper est peccatum ejusdem speciei, ac res, quae desideratur; sed quando sit peccatum, vel non, haec sternitur regula tuta. Si de re intrinsece mala est desiderium, semper est peccatum; si de re extrinsece mala, est peccatum, quoties conditio non tollit malitiam.

DESPERATIO. *Est voluntaria animi dejectio, qua spes obtinendae salutis abjicitur, propter existimatam impossibilitatem eam obtinendi. S. Thom. 2. 2. q. 4. a. 4.*, ut cum aliquis multitudine peccatorum pressus, cum Caino exclamat. *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*. etc.

2. Ex genere suo est mortalis culpa, ubi tamen desperatio realis sit, et voluntaria. Haec adnumeratur inter peccata in Spiritum Sanctum.

DETRACTIO. *Est alienae famae laesio, seu denigratio*, et duplex est. *Directa*, quae fit amplificando crimen; imponendo falsum crimen; pandendo occultum crimen; sinistre interpraetando alterius opera. *Indirecta*; negando recte facta, extendendo, tacendo, simulate, et frigide laudando. *S. Thom. ib. et alii*.

2. Detractio insuper, alia est *formalis*; cum intentio adest, et propositum, alienam famam denigrandi; *Materialis* alia, et est, cum explicite non intenditur laesio famae proxi-

mi. Causas a detractionis peccato excusantes; famae restitutionis obligationes v. RESTITUTIO *n.* 3.

3. Detractio calumnians, nisi excuset materia levis, est semper peccatum mortale, quia falsitatem proponere, in nullo casu licitum est, cum mendacium sit intrinsece malum etc.

4. Et qui crimen imposuit falsum, necesse est, ut reretractando, , famam restituat,

DEVOTIO, ut specialis actus Religionis. *Est interna quaedam sui ipsius ad cultum Divinum oblatio, seu traditio*, aut est actus voluntatis hominis offerentis se Dei servitio. Devotionis hujus causa est Spiritus Sanctus intellectum illuminans, et voluntatem accendens

DIACONATUS, DIACONUS v. ORDO *n.* 15.

DIACONISSA. PRESBYTERISSA, de quibus fit mentio in Decretis, non erant vere ordinatae, sed erant, vel uxores Diaconorum, aut Presbyterorum; quae se se Deo voverant consentientibus viris; vel erant piae mulieres, quae in aliquibus actibus Diaconos, et Presbyteros imitabantur e. g. instruebant privatim personas sexus ejusdem, vel circa eas, dum baptizarentur, exercebant quaedam officia, quae exerceri a Diaconis, vel Presbyteris, modestia Cristiana non sinebat.

DIES festi. Cum Ecclesia, ait *S. Aug. l. de civ. Dei c.* 46. dies festos praescripserit filiis suis, ut his, Dei memoriam consecremus, ne temporum volumine ingrata subreperet oblivio, ideo, quae fuerit Ecclesiae mens in ordinandis diebus Dominicis, et Festis instituendis, breviter, quasi historice, describam.

2. Ecclesia est plebs suo adunata Pastori visibili, et Pastor visibilis conjunctus Christo. Haec fidelium Collectio est Sancta Civitas, cujus Rex est Christus, cujus Praefecti sunt Pastores, cujus cives sunt credentes in Christum, eique adhaerentes. Haec civitas habet cives ubique dispersos, scilicet in Caelo, in Purgatorio, et in toto universo Mundo. Illi, qui sunt in Coelo, plene purgati gaudent cum Christo. Qui sunt in Purgatorio,

ibi patiuntur, donec purgentur, qui sunt in Terris ibi dimicant, donec coronentur: Ideo Ecclesia dicitur triumphans in Coelo, militans in Terra, patiens in Purgatorio. Ecclesia autem tum triumphans, tum patiens, tum militans, habet duplex Sacrificium, scilicet Sacrificium *Laudis*, et Sacrificium *Corporis Christi*, quo duplici sacrificio, digna est, ut se offerat, per Sacerdotes Christo, et per Christum se offerat Deo.

3. Sacrificim laudis est perpetuum in Coelo, ubi Sancti, et Angeli una cum Christo semper laudant Deum, unum in essentia, trinum in Personis, et incessabili voce proclamant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Ecclesia, quae est in Terris, optat laudes suas cum illo perenni cantico, *quod in* Coelo cantatur, conjungere, ideo ait. *Cum quibus, et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes. Sanctus etc.* Ergo sacrificium laudis, quod est perpetuum in Coelis, quotidianum est in Clero: Clerici enim, tum Saeculares, tum Regulares, recitando horas Canonicas, septies in die laudem dicunt Deo, ut dicit Psalmist. *Septies in die laudem dixi tibi*. Hoc sacrificium laudis, quod est quotidianum in Clero, alternum est in populo, quippe qui singulis Dominicis diebus, ac Festis, convenit in Templum, ut ibi una cum Sacerdotibus laudem dicant Deo suo. Ecclesia vero patiens in Purgatorio implorat auxilium in Coelo regnantium, et Sanctorum, in terra dimicantium suffragia deprecatur, et sic ex perenni laude, quae a Coelo peragitur, ex quotidiana laude, quae a Clero cantatur, ex alterna illa modulatione, quae a plebe certis diebus exercetur, et ex continua animarum languentium in Purgatorio passione, perfectum Deo offertur laudis Sacrificium.

4. Pro objecto totius suae Religionis, nihil aliud sibi proponit Ecclesia, nisi Deum, unum in essentia, et Trinum in Personis, et Mediatorem inter Deum, et homines Christum Jesum, et Sanctos amicos Dei in coelo cum Christo regnantes: Deum, et Christum solum adorat cultu *latriae*. Mariam semper Virginem cultu *hyperduliae* veneratur; Sanctis vero cultum *Duliae* tantum impendit. Deum Patrem,

qui nos creavit, Deum Filium, qui nos redemit, Deum Spiritum Sanctum, qui nos sanctificavit, una et individua adoratione veneratur. Mariam Virginem, et Sanctos, non ut Deum, sed ut Dei amicos deprecatur.

5. Sacrificium Corporis Christi, in Coelo est perpetuum, in Clero quotidianum, in plebe succedentibus sibi Dominicis diebus, et Festis frequenter iteratum. Enim vero Sacrificium Christi est perpetuum in Coelo, et perseverat continuo in Ecclesia, dum manibus Sacerdotum in Missa incruente sacrificatur perpetuo, et in perpetuum offertur in coelo, dum Sacerdos ille perpetuus, secundum ordinem Melchisedech, apparet vultui Dei pro nobis. Hoc sacrificium in Clero est quotidianum, cum Clerus, tum Saecularis, quam Regularis, quotidie Missam Solemnem nomine totius Ecclesiae celebrat, et plures Sacerdotes in Missis non solemnibus, et nomine totius Ecclesiae, et pro tota Ecclesia sanctum illud offerunt Sacrificium. Est insuper alternum in plebe, cum succedentibus sibi Dominicis diebus, ac Festis, plebs suo adunato Pastori, in Templum venit, et Sacrificium illud commemorat.

6. Sequitur ideo, quod Ecclesia Dei, dies feriales, et Dominicos, et Festos sic ordinavit, ut singulis diebus Deus solemniter a clero adoretur; et Sancti publice invocentur; ut etiam quolibet die Dominico, mysteria Trinitatis, et Incarnationis plebi commemorentur, ut quoque singulis annis Festivitates Christi, Virginis, et Sanctorum, perpetua, et succedente sibi commemoratione, populo proponantur, et ita sine interruptione, et Clerus, et Plebs Divino Cultui occupetur; Clericus qualibet Feria in Officio publico, Deum unum in essentia, et Trinum in Personis, et Mediatorem Christum Jesum adorat Psalmis, et Hymnis, et Canticis. In fine cujuslibet Psalmi Trinitatem explicite confitetur, dicens. *Gloria Patri*, et *Filio*, et *Spiritui Sancto*. Idem praestat in fine cujuslibet Hymni, dicens *Deo Patri sit gloria*, *ejusque soli Filio cum Spiritu Paraclito*, aut aliud simile, juxta metri diversitatem. Sanctos; eo die functos in Martyrologio

commemorat, et eos, ut par est laudat, deprecatur, invocat hac oratione. *Sancta Maria, et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari, et salvari, qui vivit, et regnat in saecula saeculorum Amen*. Idem privatim faciunt, qui recitant officium extra chorum. Pastor cum plebe, quolibet Dominico die, et Festivo Deum unum, Trinum, et Incarnatum, et Sanctos invocandos, proponit populo; ideo quolibet Dominico die Symbolum S. Athanasii legitur in Officio, et Symbolum Nicenum in Missa; quo utroque Symbolo, Trinitatis, et Incarnationis fides explicita confessione proponitur, et nostra cum Sanctis, et in Coelis, et in Purgatorio, et in terris, communio annunciatur.

7. Quolibet anno Christi Conceptionem; Nativitatem; Circumcisionem; Epiphaniam, seu factam gentibus manifestationem; Mortem; Resurrectionem; et in Coelis Ascensionem recolimus. Item Mariae semper Virginis Conceptionem; Nativitatem; Praesentationem; Visitationem ad Elisabeth; Beatissimam ejus mortem, et ejus in Coelis Assumptionem memoramus.

8. Item quolibet pariter anno omnes solemus festivitates Sanctorum celebrare, eosque populis invocandos proponere. Singulos Apostolos, qui Christi fundarunt Ecclesiam; insigniores Martyres, qui eam suo obsignaverunt sanguine: Doctores praecipuos, qui eam sua doctrina illustrarunt: tum Confessores, tum Virgines, qui eam sua sanctitate reddiderunt venerabilem, festo aliquo peculiari in memoriam revocamus. Angelis in ministerium missis, propter eos, qui haereditatem capiunt salutis, specialem dedicamus festivitatem Demum in Festo omnium Sanctorum, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, et Sanctos in Coelo regnantes, et animas in Purgatorio degentes, illos omnes simul invocando, pro istis omnibus simul deprecando, solemni celebramus festivitate.

9. Praeter specialem Dominicam, adorandae Trinitati destinatam, singulae Dominicae possunt dici dies Trinitatis, et Incarnationis, cum singulae Dominicae explicitam Trinita-

tis, et Incarnationis contineant confessionem. Ita tamen singulae ab Ecclesia videntur ordinatae, ut Deum unum in essentia, et Trinum in personis, aut Christi Incarnati misterium aliquod proponant.

10. Quatuor Dominicae Adventus, commemorant duplicem Christi Adventum, primum, quo venit redempturus genus humanum, secundum, quo venit judicaturus vivos, et mortuos, ut scilicet Christum Redemptorem redamemus, Christum autem Judicem timeamus. Sed Dominicae post Epiphaniam Christum nobiscum conversantem ostendunt, ut mutantem aquam in vinum in Cana Galileae, Leprosos mundantem, fluctus maris pacantem, malos cum zizaniis; bonos cum bono fructu, et doctrinam Evangelii cum grano synapis comparantem.

11. Dominicae a septuagesima usque ad Pascha, poenitentiam continuo praedicant, ut ad Communionem Paschalem disponantur. Sacerdos, et Altaria, colore violaceo vestiuntur, cessant cantica letitiae, cineres sub initium Quadragesimae capitibus imponuntur, jejunium indicitur, Verbum Divinum frequentius praedicatur, omnia luctum in Ecclesia exhibent, ut tam lugubri apparatu ad cordis contritionem excitemur, et Divinam Eucharistiam, qua decet, devotione recipiamus proximo Paschate.

12. Dominicae a Pascha ad Pentecostem, Christum suscitatum a mortuis, cum Apostolis conversantem, et cum eis de Regno Dei, idest alloquentem, ostendunt. Dominica Pentecostes, Spiritum Sanctum in Christi discipulos, ignitis linguis diffusum, exhibet.

13. Dominicae vero a Pentecoste usque ad Adventum, varia Christi documenta proponunt, et in singulis orationibus, Ecclesia gratiam ad observanda illa documenta enixe deprecatur. Inter istas Dominicas tempus seligitur, in quo per octavam *Corporis Christi* festum celebratur, solemnique Processione, Divinum illud Sacramentum circumfertur, ut speciali festo recolamus, quod qualibet die in Missa peragitur. Festum Dedicationis Templi peragimus, ut

gratiae agantur Deo, quod nostram Regionem, quondam desertam, ac a Daemonibus desolatam, ita illustrare dignatus est, ut etiam in ea sensibilem domum sibi elegerit, in qua, et laudari, et rogari, et praedicari pacifice possit, in qua orantes facilius, quam alibi exandiantur, et in qua omnia Sacramenta, quae sunt origo gratiae, conferantur. Haec si quis rudiori etiam populo historice narrare voluerit, quilibet fidelis, semper obviam, semperque recurrentem, nostrae Religionis historiam, si tantisper attendat, intuebitur.

Not. Qui voluerit Christianam plebem, circa dies Dominicos, et dies festivos instruere, Missale legat, et quae in eo leguntur die Dominico, et Festis; vulgari lingua exponat populo; sic facili, ut dicunt, negotio, plebem sibi commissam erudiet. Hac mothodo per aliquot annos utatur, et uberrimos ex simplici illa expositione fructus oriri percipiet: non enim fas est credere, nullius frugis esse Liturgiam, quam Ecclesia a tot seculis proponit, et quam *Trid.* jubet populis explicari v. SANTIFICATIO FESTI.

DIFFAMATIO. Omnis actio, qua insigniter diffamatur proximus, est peccatum ex genere suo mortale tanto gravius, quanto atrocior est diffamatio.

2. Diffamatio *interior*, quae fit per dubia, suspiciones, judicia temeraria contra probitatem proximi, etiamsi non aliis manifestentur, est peccatum, quia per hoc proximus apud nos diffamatur.

3. Diffamatio *exterior*, quae fit per detractionem, et calumniam, est peccatum, quia per hanc proximum apud alios exterius diffamamus. v. DETRACTIO. JUDICIUM *etc.*

DILECTIO. *Est actus externus, ac praecipuus charitatis, quo alteri per charitatem bonum volumus*. Hujus dilectionis filia, est *Beneficentia*, estque veluti executio ipsius internae dilectionis.

2. Dilectio est proximo rependenda, non solum actu externo, et formali, sed interno benevolentiae. 1. Effective bonum ei volendo. 2. Effective succurrendo, supportando ma-

la ab eo avertendo, pro eo orando. 3. Gratuito propter Deum.

DILECTIO INIMICORUM. In hoc stat. 1. Offensam ex corde remittere, omnemque odii, et vindictae affectum deponere, eis bona velle, et ab eis toto conatu avertere mala. 2. Communis dilectionis eis signa exhibere, ut amicis. 3. Ad exemplum Sanctorum, et adimplementum non solum praecepti, sed actionum Christi D. nostri; pro eis ex corde orare, veniam petere, et concedere, petitam. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 25. *a,* 12. *in corp.* Licet enim nobis sint inimici, tamen loco proximi habendi sunt, et diligendi.

DISCORDIA. *Est dissensio voluntatum circa bonum, quod ex charitate velle debemus. S. Thom.* 2. 2. *q.* 37. *a.* 1. Discordias, vel publicas, vel domesticas excitantem rigorose tractet Confessarius, nec absolvat ex potissima causa, quod ex his pax, et concordia publica, privata, domestica omneque bonum exuletur. Audeo hoc asserere, duce mihi. *SS. Thom.*, *et Aug. Ep.* 137. *ad Clerum Ippon.*

DISPARITAS CULTUS v. IMPEDIMENTA *Matrimonii*.

DISPENSATIO. *Est relaxatio legis, auctoritate legitima, ad tempus facta in aliquo casu, in quo alioquin obligaret.*

2. Licet antiquus sit usus in Ecclesia dispensationum privilegiorum, tamen non omnis dispensatio est licita, nec omne privilegium habendum licitum. Dispensatio enim non potest licite dari, nec peti circa ea, quae ad Jus pertinent vel naturale, vel Positivum Divinum, et quae sunt necessaria ad salutem, ex sola Dei ordinatione; ut, non potest dispensari circa Decalogi praecepta, vel Ecclesiastica, sicut circa conservationem Reipublicae, non tradendam hostibus civitatem etc. Potest bene licite dari dispensatio, et peti circa ea, quae pertinent ad jus naturale, et positivum Divinum, necessarium ad salutem ex Dei ordinatione, et simul libera nostri electione, ut sunt vota simplicia, juramento *etc.* Sic *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. Insuper dispensatio potest dari, et peti circa ea;

quae pertinent ad Jus positivum humanum, tum Ecceliasticum tum Civile, sive generale, sive particulare.

3. Ut autem dispensatio sit valida, supponit in dispensante legitimam auctoritatem, et externi fori jurisdictionem, vel contentiosam, vel gratuitam.

4. Causae dispensandi, aliae sunt *Intrinsecae*, ut Pietas, necessitas, utilitas. Aliae *extrinsecae*, ut Pax inter Principes, defensio Ecclesiae, Pecuniae solutio, pro sumptibus Ecclesiae.

5. Dispensatio sine causa concessa est illicita, quia non est in aedificationem, sed destructionem. Est tamen valida, si ab ipso Legislatore concedatur, quia, si lex ab eo pendet in fieri, etiam in conservari. Dispensatio autem a voto est Juris Divini.

6. Dispensatio *subreptitia*, quae obtinetur per subticentia veri, vel *obreptitia*, quae obtinetur per expositionem falsi, prorsus invalida est, quia Superior in hoc casu non intendit dispensare, vel saltem cum hac conditione dispensat: *Veris narratis*: *Si ita est* etc.

7. Dispensatio, sicut, et alia Rescripta, quibus gratia actu, vel jus certum ad illam conceditur, non expirat per obitum concedentis; quamvis Rescripta Justitiae, et gratiae re adhuc integra, concedentis morte finiantur. c. 36. De Prebend. *in* 6.

8. Dispensatio versatur circa triplicem materiam. 1. Circa vota. 2. Circa impedimenta matrimonii, vel matrimonium praecedentia, vel, jam contracto, supervenientia. 3. Circa suspensiones, interdicta, excommunicationem, irregularitates, etc. v. LEX. Addo solum.

9. Circa vota solemnia adhaerendum puto sententiae D. *Thom.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 11., ubi docet, quod in votum solemne non cadit dispensatio, quia, quod Deo semel consecratum est, id perpetuo debet consecratum manere, sine ulla cujuspiam retractatione; atque adeo homo voto solemni consecratus, non potest dispensari. Cum D. Thom. concordat Innoc. III. *c. cum ad Monasterium. Abdicatio inquit proprietatis, si-*

cut, et custodia castitatis, adeo est annexa regulae Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.

10. Quod si Summus Pontifex Rescripta det, quibus Voti solemnis tollat obligationem, non proprie, inquiunt Thomistae, dispensat, sed vel declarat vota esse nulla, quia non sunt elicita cum debitis conditionibus, vel judicat, quod id, quod materia voti videbatur, non sit materia voti in tali, et tali circumstantia. v. De *Leg.* v. COMMUTATIO VOTI. v. VOTUM.

11. Licet Ecclesia in concedendis dispensationibus circa ea, quae pertinent ad Jus positivum, non tam rigida sit, quam fuerit olim, non tamen culpanda est haec Ecclesiae benignitas: ut enim olim rationes habebat, quibus ad severiorem illam disciplinam movebatur: ita et nunc rationes habet, propter quas benigniore utitur disciplina. Et sicut immunes sunt a peccato, qui secuti praesentem Ecclesiae usum, quadragesimam observant, non juxta severiorem antiquae Ecclesiae rigiditatem, sed secundum praesentem Ecclesiae indulgentiam, ita immunes sunt a peccato, qui agunt juxta benigniorem praesentis Ecclesiae disciplinam v. IMPEDIMENTA MATRIMONII. *n. 16., et seq.*

DISPLICENTIA boni. *Est aversio voluntatis cum tristitia cordis.* Quando est de bono alieno, potest, vel ex invidia provenire, vel ex odio, vel ex zelo, vel ex aemulatione. Utcumque eveniat. Si displicentia est indeliberata, et praeter intentionem, numquam est peccatum, saltem grave, cum tunc sit mera animi passio. Si vero est et deliberata, et voluntaria, tunc est grave peccatum, juxta gravitatem, vel levitatem materiae. Sit quoque haec regula. Si displicentia boni alieni est ex invidia, vel odio, semper peccatum est. Si ex indignatione, vel timore, peccatum est, quoties motivum non est justum: Si ex zelo, vel aemulatione, peccatum est, quoties moderatio non adest.

DISSIMULATIO opponitur per defectum mansuetudinis, cum nempe ex irae defectu mala impunita manent, nec quis irascitur, ubi, quando, quantum, et quibus oportet, ut justitia servetur, vita corrigatur, tollatur scandalum etc. Ex D. Thom. est ex genere suo mortalis, quia, aut charitati repugnat, aut justitiae.

DISTINCTIO NUMERICA, et specif. peccatorum: v. PECCATUM *n.* 4. *s. et seq.*

DISTRIBUTIO FRUCTUUM ECCLESIASTICORUM. Bona temporalia Ecclesiae quadruplicis sunt generis. 1. Oblationes quotidianae, ita voluntariae, ut exigi nequeant: tales sunt oblationes, de quibus loquitur *D. Paul* 1. *Cor. c.* 10. *v.* 2. et *Canones Apostol.* 3. 4. 5. dicunt quod *super Altare non ponatur, aut mel, aut lac, aut sicera, nec offerri liceat aliquid ad Altare, praeter novas spicas, et uvas*, et *oleum ad luminaria. Reliqua poma omnia ad domum, ut primitiae, Episcopo, et Praesbiteris dirigantur*. 2. Sunt retributiones pro Sacramentis collatis, voluntariae quidem, sed exigibiles, non per subtractionem Sacramentorum, sed per actionem coram Judice Ecclesiastico. Tales sunt oblationes, quae longo usu, absque pactione consueverunt dari vel pro celebratione Missae, vel pro Sacramentorum administratione, vel pro Sepultura, de quibus oblationibus loquitur Conc. Later. sub Innoc. X. *c.* 55. aliaque Conc. 3. Sunt bona immobilia, quorum dominium Ecclesia obtinuit, vel per liberalitatem Principum, vel per donationes factas a privatis hominibus, vel per restitutionem bonorum ad Christianos pertinentium, quae temporibus persecutionum Fisco addicta fuerant, vel per quamcumque aliam acquisitionem 4. Sunt decimae omnium fructuum, quae Ecclesiae adjudicatae sunt ad imitationem Sinagogae, cui olim solvebantur. *Later. III. De decimis p.* 4. Ideo,

2. Bona, quorum Ecclesia habet dominium, hoc ipso, quod sunt Ecclesiae, sacra sunt, nec possunt, nisi in usus a Deo, vel Ecclesia destinatos, adhiberi, sicuti habetur de bonis datis Apostolis. *Act.* 4. *v.* 34. Ex *Can.* 40. *Apostol.* ex *Conc.*

4. *Chartag*. c. 23. ex Patribus, Canonistis, et Theologis, et aliis. Hujus ratio desumitur clarissime ex intentione Fundatorum, ex divisione bonorum Ecclesiae, ex Capitularibus Francorum *l.* 1. c. 37., ubi Carolus Magnus fatetur, se nosse juxta SS. Patrum traditionem *res Ecclesiae, esse vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*, et proinde easdem res in pios usus esse convertendas. Dato ergo, et non concesso, quod Clerici sint absolute domini redditnum omnium, quos ex beneficiis suis percipiunt, ad praeceptum de dandis eleemosynis, tenentur multo p'uribus, et urgentioribus titulis, quam Laici, ut docet Sozomenus, acerrimus defensor opinionis illius, quae dominium absolutum bonorum Ecclesiasticorum adscribit beneficiariis.

3. Si Clerici sibi approprient, aut dissipent bona Ecclesiastica, quorum ex dictis, non sunt domini, peccant contra justitiam, et ad restitutionem tenentur. 1. Si usurpent, dissipent, vendant, bona immobilia, quia non sunt illorum bonorum Domini, sed ad summum usufructuarii, vel oeconomi. *Qui ita se gerit furatur, diripit, devorat pauperum res, substantiam pauperum*, inquit Chrisost. *hom.* 1. *in Epist. ad Titum*. 2. Si retinent bona Ecclesiastica, alicui usui destinata, ut cultui Divino, vel pauperibus, vel fabricae, vel Clericis. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 18. *a.* 7. *Trid. sess.* 25. *c.* 8. *de Reform.* 3. Si bona superflua decenti carum sustentioni, aut retineant, ut ditiores fiant, aut in pravos usus dissipent. *S. Thom. ibid.*

Si Clerici dissipent, aut in pravos usus insumant ea bona, quorum sunt domini, peccant quidem, sed ad restitutionem non tenentur, ut, si male insumant bona patrimonialia, ea scilicet, quae acquirunt, ut laici, haereditate, industria, donatione, aliove modo, vivendo interim ex beneficii redditibus. 2. Si male insumant bona quasi patrimonialia, aut quasi castrentia, quae acquirunt quidem, ut Clerici, sed tamquam stipendium laborum suorum. Tales sunt retributiones pro concionibus, pro Missa, pro funere *etc.* 3. Si

male insumant eos redditus beneficii, quos parce vivendo subtrahunt congruae, decentique sostentationi etc.

5. Circa cessiones fructuum ex beneficiis provenientium v. *Const.* 8. *Bened. XIV.incip. Universalis*.

DIVINATIO *Est species superstitionis, seu inquisitionis de aliqua re occulta ope, vel disciplina Daemonis facta*: Dupliciter contingit, duce *S. Thom.*; vel per *expressam* Daemonis invocationem, vel per *implicitam* 2, 2: *q.* 95. *a.* 2.

2. Daemon invocatur expresse, quando rogatur, ut sensibiliter appareat ad docendam rem, quam ignoramus; propterea daemon apparet. 1. per praestigium, perstringendo oculos, ostendendo absens tamquam praesens; et sic fecere Praestigiatores Aegipti dum baculi ab ipsis projecti, serpentes facti sunt 2. Per somnium, commovendo phantasmata, et ostendendo, quod vult docere; et hic sciendum.

3. Multiplex est somnium. 1. Naturale 2. Divinum 3. Diabolicum. Naturale illud ast, quod provenit a causa naturali, vel intrinseca, quales sunt humores; vel extrinseca, qualis est aer aliaque corpora ambientia. Credere somnio naturali, non est malum, Medici quippe possunt ex somniis naturalibus morbos dignoscere, et Cordis affectus coniicere: Somnium divinum illud est, quod provenit a Deo, aliquid absconditum manifestante; Tale fuit Somnium Abimelech Saram videntis Abrahae Matrimonio junctam. Tale somnium Pharaonis, Joseph etc. Huic somnio credere necessarium est. Cum autem difficilli num sit distinguere inter somnium Divinum, et Diabolicum, melius erit numquam credere somniis, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio.

4. Apparet Daemon in corporibus mortuis, agitando ea, et ostendendo, quod vult. Talis fuit visio Magica facta Sauli morituro, a Samuele. Iste quippe, Samuel non erat verus Dei Propheta, quia animae justorum, non subjacent operationibus Magicis, nec sunt in Daemonis potestate, tum quia dixit Sauli *Cras eris mecum* Saul autem non abiit, in sinu Abrahae, ubi erat Samuel.

5. Apparet Daemon per elementa, imprimendo elementis

varias figuras, quibus significat, quod vult ostendere. Apparet autem, modo in igne, et vocatur *Pyromantia*, in aure *Aeromantia*; in Aqua *Hidromantia*. In Terra *Geomantia*; et hisce credere illicitum est.

6. Implicite Daemon invocatur, cum assumitur aliquid in ordine ad sciendum futura libera, quod nec ex natura sua, nec ex institutione Dei, potest nos ad incognitum deducere. Hoc autem multipliciter fit. Per *Chyromantiam*, *Astrologiam*, *per Auguria*, *per Sortes*.

7. Divinatio per *Astrologiam* judiciariam v. *Astrologia* qua quis, utitur astris ad cognoscenda futura libera; est gravissimum peccatum. Prae omnibus *S. Thom.* 2. 2. *q.* 95. *a.* 5. Peccant ideo mortaliter insistentes Astrorum observationi, ut res tum praeteritas, tam praesentes, tum futuras, ad Religionem pertinentes, in ipsa Astra refundant. Peccant, qui Astrorum observationi insistunt, ut conjciant futura contingentia, actusque liberos; cum sit contra fidei veritatem, qua certus sum, hominem frui libero arbitrio, et actus meos liberos, astrorum influxibus, minime subjacere. Peccant, qui sic insistunt, ut actiones suas dirigant secundum Coelorum motum, variasque astrorum, vices habeant, tamquam leges.

8. Divinatio per *Chyromantiam*, qua quis utitur lineamentis, quae sunt in hominis corpore, ut pronunciet, quid sit eventurum certo, est omnino illicita. *Comm. cum. S. Thom. ib.* Peccant ideo et graviter, illusores illi, qui faciunt horoscopos, et jactant ex corporis lineamentis certa praedicere, quin aliquod habeant cum Daemone commercium etc. Peccant, qui Egyptios de fortuna consulunt, si fiat cum firma fide, et scandalo, secus si fiat absque scandalo, et per risum etc.

9. Divinatio, quae fit per *Auguria*, per *virgas*, per *annulos*, per *Cribrum farinarium*, per *Plumbum liquefactum*, per *tibialia*, *per fabas*, etc. est mortale peccatum Peccant ideo, qui vanis auguriis plena fide credunt; qui pronunciant, sibi infausta obventura, si Sacerdos Monachus, virgo, lepus, bufo occurrerit, aut serpens, si corvus supra domum crocitaverit, aut pica ad sinistrum volaverit, si ululaverit canis

noctu juxta domum, si in mensa sal effundatur etc., qui virgis utuntur divinatoriis, annulo, cribro etc., ad detegendum furem, homicidam, ad cognoscendam puellae virginitatem, futurum sponsum etc. In his enim omnibus absolute, vel implicitum, vel explicitum cum Daemone intervenit commercium.

10. Divinatio per *Sortes*, non est ab intrinseco, et ex natura sua malum: Sors triplex est. *Divisoria*. *Consultoria*, *Divinatoria*, Divisoria est, cum quaeritur, quid sit cuilibet exhibendum. Consultoria, cum quaeritur, quid in arduo aliquo Negotio sit agendum. Divinatoria, cum quaeritur, quid sit futurum.

11. Sors Divinatoria non est illicita, quoties ex speciali ininstinctu adhibetur, et non ab alio expectatur, quam a Deo, cognitio futuri. Sic Josue, et Apostoli fecerunt.

12. Sors Divisoria est licita, urgente necessitate prudenter justa, et religiose adhibita *Sic sorte*, ait S. August., *eliguntur Sacerdotes, qui debent in Ecclesiis manere, dum saevit Tyrannus*. Sorte Medici eliguntur, peste grassante; Sorte, qui pauperes nutriant fame saeviente etc.

13. Sors Consultoria, est aliquando licita, si debito adhibeatur in Dei obsequio, ait *S. Thom. ib.*, et modo proportionato. Est vero peccatum, quoties Virtus aliqua, vel moralis, vel theologica violatur, et peccatum tanto est gravius, quanto excellentior est virtus, cui opponitur.

14. Divinatio ex mera curiositate cognoscendi futura, est peccatum ex genere suo mortale. Peccat ergo, et quidem gravissime, qui sortibus Divinatoriis conatur addiscere, quam compartem in Matrimonio sit habiturus e. g. taxillorum projectione, sagittarum, et pallarum comixtione etc. Peccat, et gravissime, qui sorte Divinatoria tentat cognoscere, an futurus sit felix, vel miser etc. Peccant, et milites, qui sorte Divinatoria conantur addiscere, an incolumes evadent e bello etc.

DIVORTIUM *Est legitima separatio viri ab uxore, manente adhuc vinculo matrimonii*.

2. Generatim dupliciter accipitur. 1. Pro separatione con-

jugum, dissoluto eorum matrimonio, quoad vinculum. 2. Pro separatione conjugum quoad thorum dumtaxat, vel etiam quoad cohabitationem; quoad thorum, juste denegando: quoad habitationem quatenus vinculo remanente, non tenentur Conjuges habitare in ejsdem lecto, mensa, thoro. Divortium quoad thorum, et habitationem ex legitima causa fieri potest *Trid. ses.* 24. *c.* 8.

3. Hujusmodi dissolutionis causae sunt 1. *Mutuus consensus*, ut cum ambo intrant Religionem, vel unus eorum etc. 2: *Fornicatio Spiritualis*, seu lapsus in haeresim, *gentilesimum* etc. 3. *Incitatio* ad peccatum mortale, seu spiritualis ruinae periculum, ut ad Sodomiam, furtum etc. 4. *Saevitia* unius conjugum, si absque periculo mortis, vel gravis damni corporalis, secum cohabitare non possit. 5. *Votum* ultramarinum, quod pars adimplere potest, et emittere, altera invita. 6. *Morbus* contagiosus, cujus causa peritorum judicatu est probabile periculum infectionis. 7. *Adulterium* voluntarium, et culpabile, et intellige etiam *Sodomiam*, et *Bestialitatem*, non tamen *tactus impudici, oscula, amplexus*, etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis, absque copula etc.

4. Materia divortii cum sit de odiosis, non late, sed stricte est interpretanda juxta *Reg.* 5. *Juris in* 6. *ibi. Odia restringenda, et favores ampliandi*.

Not. *Divortium hodie, ex voto ultramarino non admittitur. Hoc fuit constitutum ab Innoc. III. tunc, cum undique fiebant ad Terram Sanctam expeditiones, quae cum hodie locum non habeant, non est, cur vir suam deferat conjugem*.

5. Innocens pars, cognita alterius fornicatione, occulta tamen quoad Thorum, potest auctoritate propria se separare; quoad habitationem vero, solum post Judicis sententiam; ratione adulterii non licet uxorem dimittere. Cum adulterium est materiale, sive sine culpa, ut per vim etc. Cum vir fuit in causa, vel consulendo etc. Cum adulterium fuit ab utroque commissum, et hoc procedit, esto unus prius commiserit, et divortium secutum sit Judicis sententiam, nam si etiam alter postea fornicetur, restituitur; Cum injuria fuit ab innocente

parte remissa, quae remissio fit expresse verbis injuriam parcentibus,et tacite cum innocens pars cum parte rem habuit. v. ADULTERIUM. NOT.

DOCTRINA CHRISTIANA. Est Fidelibus populis ab Episcopo tradenda, a Parochis, aliisque animarum curam habentibus, a reliquis Ecclesiasticis, a Magistris, a Patribus familias, a Sodalibus, huic oneri addictis, et a reliquis invicem viris, et mulieribus. *Bened. XIV, T.* 1. *Const.* 42. Haec tradenda est etiam in Ecclesiis ruralibus, non Parochialibus *ibid.* Doctrina Christiana, nedum pueris, sed et adultis est necessaria. *Idem ibid.*

DOLOR. v. POENITENTIA, CONTRITIO.

DOLUS. *Est actus externus*, seu *executio ipsius astutiae* et habet praecipue locum in materia justitiae, in contractibus etc. et dicitur *Machinatio ad circumveniendum, decipiendum, fallendum proximum, adhibita*. Ut plurimum, grave peccatum est contra justitiam, et charitatem. v. COMMODATUM. OBLIGATIO VITANDI DOLUM.

DOMINIUM. Communissime sumptum, *Est facultas disponendi de re tamquam sibi subjecta*, et sic sumptum dividitur in *Divinum*, quod soli Deo competit; et *Humanum*, quod homini competit, per partecipationem a Deo habitam, seu per potestatem sibi a Deo collatam.

2. Dominium humanum, seu Positivum, aliud est *Jurisdictionis*, aliud *Proprietatis*. Primum est *potestas gubernandi suos subditos*, idest illis praecipiendi, judicandi, puniendi etc. et hoc subdividitur *in Saeculare*, quale residet in Principe respectu Subditorum suorum; et *Ecclesiasticum*, quale est in Summo Pontifice, Episcopis etc. Dominium *proprietatis* e contra est jus disponendi de re sua pro libito, nisi lege prohibeatur.

3. Dominium proprietatis, aliud est *Perfectum*, aliud *Imperfectum*. Perfectum illud est, quod extenditur ad substantiam rei simul, et ad ejus emolumenta. Imperfectum, aliud est *directum*, quo licet solum de substantia rei disponere, minime vero, de ejus emolumentis. Aliud *utile*, quo quis uti-

K 2

tûr, fruitur re aliena, salva ejus substantia. Hoc dominium multiplex est. *Usus*, *Usufructus*. *Habitatio*. *Superficies*, etc. de quibus suis in locis.

4. Solus homo capax est dominii, ita ut omnes res corporeae inferiores, videlicet, Agri, Montes, Flumina, Plantae, Metalla; Bestiae etc, cadant sub dominium hominis. v. CLERICUS.

DONA, Dona Spiritus Sancti sunt septem. *Sapientia*, *Intellectus*, *Consilium*, *Fortitudo*, *Scientia*, *Pietas*, *Timor Dei*.

DONATIO, quam inter contractus multi adnumerant, juxta Jus civile. *Est mera liberalitas*, *quae*, *nullo cogente Jure*, *ex sola animi liberalitate defertur ad accipientem*.

2. Donatio, alia est *absoluta*, qua aliquid donatur, absolute, et sine conditione, ut, *do agrum meum Titio etc.* Alia est conditionata, qua aliquid donatur sub conditione, ut. *Do agrum Titio*, *si Lauream consequatur Medicam etc.*

3. Iterum, donatio est *gratuita*, qua res donatur omnino gratuito; alia *remuneratoria*, qua aliquid donatur, in proemium accepti officii.

4. Donatio iterum alia est *inter vivos*, qua quis vult, se vivo, rem donatam esse alterius, idest, ut statim velit adjudicari accipienti, quod datur. Alia est *causa mortis*, qua, quis sic donat, ut velit rem datam dari donatario, post mortem suam.

5. Juristae addunt donationem *propter nuptias*, quae triplex est 1. Sponsalitia, qua sponsi ante nuptias sibi aliquid donant intuitu Matrimonii. 2. Donatio *contemplatione Matrimonii*, qua Pater, vel extraneus dat aliquid alteri conjugum conjugii, non conjugis nomine. 3. Donatio *in favorem superstitis*, qua Conjux donat aliquid parti sibi superstiti. Nunc,

6. Ut donatio sit valida, requiruntur conditiones, et ex parte Donatoris, et ex parte donatarii, et quaedam ex parte rei donatae, et ex parte modi donandi. Ideo.

7. Ut donator valide donet, debet habere et dominium,

et administrationem rei, quam est daturus. Infantes vero, et senes, deliri, furiosi, mancipia, Monachi, Pupilli, Minores, filii familias circa bona profectitia, et adventitia, Uxor circa res dotales, Prodigi, Surdi, Fures, Raptores, aere gravati alieno etc. sunt prorsus donationis incapaces.

8. Ex parte Donatarii. Donationes illis fieri debent, qui sunt capaces acceptandi libere donationem, et accipiendi dominium. Collige ex n. 7. Qui donare nequit, nec donationis est capax.

9. Ex parte rei donatae. Res donata debet esse in hominum commercio, et in possessionem donatoris. Unde non potest donari Res Sacra, et Religiosa, nisi eo fine, ut ad sacrum inserviat usum, quia non est in hominum commercio. Donari non possunt bona Ecclesiastica, nisi certis datis conditionibus; alienari nequeunt res aliena, furto, aut rapina detenta, aut deposito accepta. Donatio omnium bonorum praesentium, et futurorum est omnino nulla. Sic Doctores.

10. Ex parte modi donandi. Invalida est donatio non facta juxta praescriptum legis, ut donatio facta Tutori per pupillum, Medico per aegrotum, Confessario per poenitentem, sed, et donatio facta per Patrem filio nato ex adulterio, aut spurio, exceptis alimentis, est nulla etc. Valet tamen donatio. 1. In Magistro mi itum donante militibus hostium spolia. 2. Cum quis donat pro domus reparatione, pro redemptione captivorum, vel pro causa pia etc.

11. Donatio revocari potest, quoties donator, vel coacte, vel irrationabiliter censetur donasse. Hinc donatio revocari ptest. 1. Cum donator in donando excessit. 2. Si donatarius enormiter fiat erga Donatorem ingratus. 3. Cum donatarius non servat conditiones. 4. Si Donator prole carens donavit, posteaque nascatur, aut filius redeat absens, aut illegitimus legitimetur etc. *leg. si unquam cod., de revoc. donat.*

Not. *Si donatio extraneo est facta, tota potest revocari, si parentibus, vel Ecclesiae revocari ex parte potest.*

12. Donatio *causa mortis* revocatur, si donatorem poeniteat, si Donatarius praemoriatur, etc. v. REVOCATIO.

DOS *Est quidquid datur a Muliere viro pro sustinendis oneribus Matrimonii.*

2. Dos duplex est; alia *Profectitia*, quae datur Mulieri a Patre, Avo etc. vel ab extraneo, si illam det sub nomine dotis paternae. Alia *Adventitia* quae, neque a Patre, neque ab aliis consanguineis, sed, quam mulier sibi ipsi constituit ex bonis Matris, Fratris, Avunculi, extranei.

3. Pater tenetur dotare filiam, ejus loco Mater, amborum defectu, Frater, quia filiae alimenta competunt, et dos locum obtinet alimentorum, Sic dicatur de ingrediente Religionem, Sacrosque ordines suscipiente.

4. Vir non habet proprietatem bonorum dotalium, sed usumfructum, eorumque tutelam, bene vero Mulier habet dominium directum, et vir dominium utile, Unde vir etiam uxore consentiente, nequit bona dotalia vendere, nec oppignorare, nisi in ingenti necessitate, et cum solemnitatibus et auctoritate Judicis. Soluto matrimonio, citra mortem alterius maritus nequit dotem retinere, cum non sit ejus Dominus, sed debet eam filiis conservare, vel uxori reddere, aut haeredibus, a quibus profecta est dos, si sit reversibilis.

5. Maritus, soluto Matrimonio, debet restituere non solum dotem, sed et dotis accessoria, quorum non est Dominus. In dote restituenda, marito adjudicabuntur dona, si quae sunt ei ab uxore facta, sic omnes expensae, utiles, necessariae, extraordinariae factae pro dote conservanda, v. g. sustinendo aedificia ruitura, nova facta etc., ad arandum vero, ad fructus colligendos, ad solvenda tributa etc. non erit compensationi locus.

6. Dotis proprietas ita est uxoris, ut pro ea hypothecentur, mariti bona, et mortuo marito, uxor prima est in repetenda, prae ceteris, dote. De hac Jurisperiti fusius. v. MARITUS.

DOTES ANIMAE BEATAE sunt tres. *Inamissibilitas gloriae. Impeccabilitas. Modus, quo Deum diligit.*

2. Beatitudo est inamissibilis, alias cum timore possideretur, et sic non esset status omnium bonorum aggregatione

perfectus. Beati sunt impeccabiles, nam peccatum, quod est aversio a Deo, non potest stare cum amore beatifico, qui est intima unio cum Deo. Beati necessario amant Deum, tam necessitate specificationis, ita ut, non possint eum odisse, quam necessitate exercitii, nec ab ejus amore cessare. Sequitur ideo.

3. Quatuor esse quoque Corporis Beati dotes, quas refert *Apost.* 1. *Cor.* 15. nempe *Impassibilitatem*, qua excluditur a corpore Beati omnis corruptiva passio: *Subtilitatem*, qua redditur alterius corporis penetrativum: *Agilitatem*, qua redditur imperceptibiliter, ac celerrime mobile, *Claritatem*, qua luminosum redditur simile christallo.

DOTES REQUISITAE IN CLERICO, vel Monacho, ut licite, et valide possit beneficium recipere, et quidem.

2. Clericus, vel Saecularis, vel Regularis, non potest absque gravissima culpa suscipere beneficium, si ad illud Officium non sit divinitus vocatus. Hinc, qui se intrudit, seditione, et ambitione, solo honore, et redditunm temporalium intuitu, non habens voluntatem perseverandi in statu clericali, se se intrudens mediis ab Ecclesia proibitis, neutiquam a Deo vocatus, non est absolute tutus in conscientia.

3. Clericus sive saecularis, sive regularis, non potest citra peccatum recipere beneficium Ecclesiasticum, si sit corruptis moribus, etiam si non publice, et palam appareant. Peccant ideo et graviter, qui beneficia his conferunt, quos sciunt corruptis moribus esse, quia cooperantur peccato, quod committitur ab his, qui ea recipiunt. Peccant graviter parentes, qui, filios videntes moribus malis, curant nihilominus eis beneficia conferri.

4. Clericus sive Saecularis, sive Regularis non potest suscipere beneficium Ecclesiasticum, si non habet *Bonos mores*, *scientiam*, *aetatem competentem*: et si ignorantia ejus, vita corrupta, et aetas inferior, probari possint in Foro contentioso, privari potest beneficio. Caetera alibi. v. CLERICUS eot.

DUBIUM. v. CONSCIENTIA *n.* 8. JUDICIUM DIFFAMANS *n.* 2.

DUELLUM. Graece *Monomachia*. *Est pugna singularis ex condicto*. Duellum privata auctoritate initum, est de se mortale peccatum, Jure Civili, et Canonico prohibitum, et excommunicationi duellantes subiicit Patrinos, Inspectores Suadentes, Principes non prohibentes. Constat hoc ex Script. *Non occides* ex *Trid. sess.* 25. *c.* 19. Moriens in Duello Sepultura privatur Ecclesiastica. Adest et Bulla Bened. XIV., cujus statutis scrupulose standum.

E

EBRIETAS. *Est excessus in potu usque ad violentam privationem rationis, ejusque proximae potestatis*. Est peccatum mortale, si sit ebrietas etiam indirecta, et interpraetative voluntaria. v. EXCESSUS.

ECCLESIA. Dupliciter sumi potest, scilicet in sensu morali, prout significat congregationem fidelium, ut sepe annuit Scriptura, et pro ipsa materiali Ecclesia, in qua fideles conveniunt ad colendum, invocandum Deum, Divinaque administranda. De hac materia tracto in meo *Epitome Theologico* Dogmatico *etc*.

ECCLESIAE *Bona, et personarum Ecclesiasticarum*, triplicis sunt generis.

2. Primi generis sunt ipsaemet Ecclesiae materiales, una cum cemeteriis, item vasa Sacra, vestes, et quaecumque consecrata, quae omnia Jure Divino sunt a Jurisdictione exempta, et exactione Magistratum.

3. Alterum genus complectitur bona Ecclesiarum, tum immobilia, tum mobilia, quae, sive a fundatoribus, sive ab aliis, sunt Dei honori dicata, et donata.

4. Tertium bonorum genus, est eorum, quae ad Ecclesiam aut Ecclesiasticas personas pervenerunt aliis titulis, sive causis, puta, emptione, haereditate, arte, labore etc. v. ALIENATIO, BENEFICIUM.

ECCLESIAE POLLUTIO. Quinque, praecipue, modis contingere potest.

1. Violatur Ecclesia per copiosam humani sanguinis effusionem. Requiritur tamen, ut percussio, seu vulnus homini in Ecclesia existenti infligatur, sive sanguis effundatur, intra, sive extra Ecclesiam, imo vulneratus extra Ecclesiam existat. Insuper requiritur, ut percussio sit gravis, seu talis, quae sit lethalis culpa, unde si casu accidat, erit venialis tantum, insuper, ut tale factum sit notorium, Juris, aut facti notitia.

2. Violatur Ecclesia per injuriosum homicidium, aut noto-

rium, quod factum est, vel cujus causa, data est in Ecclesia, licet fiat sine sanguinis effusione.

3. Violatur Ecclesia per illicitam, et notoriam seminis humani effusionem, factam intra, vel prope Ecclesiam; repugnat enim loci Sanctitati. Si vero sit involuntaria, non violatur. De actu conjugali dubitant Auctores; ego solum, necessitatis casum, excipio.

4. Violatur Ecclesia per Sepulturam Excommunicati non tollerati. *Conc. Trid.*

5. Violatur per sepulturam Pagani, seu Infidelis, et intelligendum etiam, de non baptizato infante, non autem si adhuc degat in matris utero, tunc enim illius est pars. Addunt aliqui, violari etiam, dum ab Episcopo Excommunicato vel benedicitur, vel consecratur; vel quando Ecclesia adeo dirutа est, ut restauratione indigeat.

6. Polluta Ecclesia, polluitur, et contiguum Caemeterium non tamen vicissim. Cum factum est occultum, ex Jure non censetur secuta pollutio, ita ut reconciliatione indigeat. Sic *Glos. verb.* POLLUI.

7. Grave peccatum est celebrare in Ecclesia polluta, unde prius est reconcilianda, et quidem si Ecclesia fuit solemniter consecrata, solus Episcopus potest eam reconciliare, adhibita aqua per ipsum benedicta, ex vino, et cinere mixta. Poterit tamen simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis benedicere, si Ecclesia fuerit solummodo benedicta.

8. Aliqui Doctores dicunt, quod bona fide celebrans, et etiam, mala fide in Ecclesia polluta, propter summam virtutem Sacrificii, Ecclesiam haberi pro reconciliata. Cum sanioribus Theologis hanc non amplector sententiam.

9. Tempore Missae, si violatur Ecclesia, standum Rubricis Missalis *n.* 116. Si id accidat ante Canonem, dimittendam esse Missam, secus autem, si post. Quid vero agendum, cum sub Missae Sacrificio ingreditur excommunicatus vitandus? Tunc relinquenda Missa, si monitus Excommunicatus exire renuat, nisi inceptus sit Canon, tunc enim usque ad sum-

ptionem agere debet, et in tali casu, omnes, excepto Sacerdote, exire debent.

ECCLESIAE PRAECEPTA sunt sex 1. *Sacrum Missae Sacrificium audire, eique interesse omnibus diebus Festis ex praecepto. 2. Jejunare diebus ab Ecclesia institutis, et carnes non manducare in quadragesima, in diebus quatuor Temporum, nec Feria sexta, et Sabatho, nec in omnibus vigiliis de Ecclesiae praecepto. 3. Sacramentaliter confiteri, Saltem in Anno. 4. Communicare in diebus ab Ecclesia praescriptis, et Paschatis, in propria Paraecia. 5. Decimas Solvere Ecclesiae 6. Nuptias non celebrare vetitis temporibus, seu a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam, et a Feria 4. Cinerum, usque ad Paschatis actavam iuclusive v. Suis locis sparsim.*

EFFECTUS BAPTISMI v. BAPTISMUS n. 13.

EFFECTUS EUCHARISTIAE. v. EUCHARISTIA n. 17.

EFFCTUS PECCATI. Sunt duo, scilicet, *Reatus culpae. Reatus paenae* Prior nihil est aliud, quam peccatum habituale, idest macula, qua anima peccans inficitur. Posterior. Est obligatio ad poenam. Utrumque existere docet fides v. PECCATUM.

EFFECTUS SACRAMENTORUM sunt plures. *Gratia habitualis; Gratia specialis; Character.* Primus effectus, communis est omnibus Sacramentis, quatenus sanctificans, et magis sanctificans animam. Secundus effectus, proprius est cuique Sacramento. Tertius effectus proprius est tantum trium Sacramentorum nempe. Baptismi, Confirmationis, Ordinis.

2. Omnia Sacramenta, gratiam sibi propriam, et specialem conferunt a Theologis Sacramentalem dietam. Ratio est patens. Unumquodque enim Sacramentum ad finem specialem est institutum, paritque gratiam fini huic accomodatam. Supervacaneum siquidem foret septem instituere Sacramenta, si una, eademque gratia ab omnibus proflueret. Sic una esset Sacrae Ordinationis gratia, ac Matrimonj etc.

Sacramenta conferunt gratiam moraliter tantum, hoc sensu, quod Deum efficaciter, et immediate moveant ad gratiam

physice promovendam, seu producendam, ex pacto scilicet quo se libere obst inxit, ut ad praesentiam illorum signorum gratiam certo conferret iis, qui nullum opponunt obicem. Sic Thomistae, et ego cum illis.

4. Sacramenta Characterem imprimentia, reviviscunt ut de Baptismo affirmat *S. August.* De Ordine, et Confirmatione constat, cum iterari haud possint. Probabile quoque est Matrimonium, durante Conjugio, et Extremam Unctionem durante morbo, reviviscere; Poenitentia non reviviscit; quia si informis, etiam nulla est, et quod nullum est reviviscere non potest. Nec Eucharistia, quia cum possit iterari, non facit necesse, ut Christus eam reviviscere voluerit. etc:

EDUCANDAE. Educandarum puellarum admissio in Monasterium fieri nequit sine Apostolica licentia, et Ordinariorum examine. *Bened. XIV. T. 2. Const. 26.*

EJECTUS. Religiosus professus vere incorrigibilis, servatis servandis, licite ejci potest a Religione. v. DECRETA DE APOSTATIS et CANONISTAS.

ELECTIO CONFESSARJ tempore Jubilaei v. INDULGENTIA n. 17.

ELECTIO stricte sumpta. *Est personae idoneae ad Ecclesiam vacantem, vel Praelaturam, per eos, quibus eligendi jus competit, canonica vocatio*. Est communis v. BENEFICIUM.

ELEEMOSYNA. *Est actus, quo aliquid datur ex misericordia indigenti ad sublevandam ejus miseriam*. S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 1. Haec est opus summe meritorium, satisfactorium, et impetratorium, ut ex Scriptura eruitur. Adest et sub mortali praeceptum eleemosynae.

2: Eleemosyna fieri non potest ex bonis injuste acquisitis, et alias non debitis; bene vero ex propriis, et alias non debitis, qui enim aere gravatur alieno, potius se se liberare debet, quam eleemosynas, cum Creditorum jactura, erogare.

3. In extrema necessitate versantibus, succurrendum est per ea, quae vitae supersunt, sed statui sunt necessaria. In communi per ea, que non sunt necessaria, sed potius otiosa.

Eleemosyna tanta est elargienda, quanta sufficit ad levandam proximi necessitatem. Fusius in Opusculo Italice inscripto. *La Causa del Povero al Tribunale del ricco.*

EMANCIPATIO. *Est dimissio a patria potestate, coram Judice facta*, ut. Cajus unicum habens filium, sempronium sibi adoptavit in Filiam, haec non potest esse uxor Filii Caii, nisi, aut Cajus moriatur, aut ista emancipetur, seu dimittatur a potestate Patris adoptantis.

EMPHITEUSIS. *Est contractus, quo cum onere annuae pensionis transfertur rei immobilis utile dominium.*

2. Duplex est *Ecclesiastica*, per quam bona Ecclesiae Monasterj, Pii Loci, fruenda, et colenda traduntur. *Laicalis*, per quam bona Laici, Communitatis etc. fruenda, et Colenda traduntur. Instrumentum scriptum est de substantia hujus contractus nominati. Emphiteusis vel debet esse perpetua, vel saltem ad decennium.

3. Emphiteuta jus suum amittit, simul, et melioramenta juxta Jus Canonicum, si per biennium non solverit suum Canonem. De jure vero Civili, si per Triennium.

EMPTIO *Est contractus, quo dominium alicujus rei, pro certo pretio aquiritur*. Hujus contractus substantia in solo sistit consensu, attento Jure communi, inspecto vero Jure Municipali, in arrha, in traditione, juxta varios Regionum usus. v. VENDITIO.

EPICHEJA. *Est benigna interpraetatio, secundum aequum, et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente Legislatoris, ob suas particulares circumstantias, et speciales, sub lege universaliter lata, non comprehensum.*

EPISCOPATUS, Definitur. *Ordo Supremus, quo datur Presbytero potestas ordinandi, confirmandi, Ecclesiamque sibi commissam regendi.*

2. Episcopatus. Verum est Sacramentum. Est enim ritus sensibilis, in manuum videlicet impositione, et oratione constitutus. Adjunctam habet vim, gratiam conferendi. Hujus institutio est Divina.

3. Episcopatus est Sacramentum a Presbyteratu distinctum,

quia ipsi nihil eorum deest, quae ad constituendum speciale Sacramentum, sunt necessaria.

4. Episcopalis Ordinationis materia, est manuum impositio, et sola videtur esse, et necessaria, et essentialis.

5. Episcopalis Ordinationis forma, in oratione sita est, per quam Episcopus consecrans, dum ordinando, manus imponit, invocat Spiritum Sanctum.

6. Episcopus Jure Divino est Praesbytero Superior, ex Patrum unanimi consensu. v. *Canonistas*.

AEQUIVOCATIO. *Est pravus usus terminorum, qui destinantur ad exprimendos mentis conceptus*. Duplex est. *Verbalis*, cum verba ambigua sumuntur in uno sensu a proferente, et in alio sensu ab audiente, cum intentione fallendi audientem. *Mentalis* est, cum verba, quae unum, et simplicem sensum patiuntur, per tacitam mentis restrictionem commutantur a loquente in sensum omnino diversum, ut Sacerdos interrogatus, an sit talis, respondet, se non esse Sacerdotem, intelligendo Jovis, aut Balaam etc. Ideo haec sit praxis.

2. Cum Verba sunt clara, et non ambigua, tum in se, tum ratione circumstantiarum, aequivocationes verbales, et restrictiones mentales sunt illicitae, cum nulla subest causa, cum subest sola nostra utilitas, cum exigitur juramentum auctoritate publica, cum interrogamur a legitimo Superiore, etiam extra rigorem Juris, nec juramento exacto etc.

3. Quando verba sunt, aut in se ipsis, aut ex circumstantiis ambigua, tunc proferens ea, sumere potest in sensu obvio, licet audiens alieno sit recepturus sensu, modo proferens justam habeat reticendi causam. Sic S. Athanasias interrogatus, a quaerentibus illum, satellitibus, an longe abesset Athanasius; respondit non longe abesse. v. JURAMENTUM n. 13.

4. Cum verba sunt ambigua, aut in se ipsis, aut in circumstantiis, tunc proferens sumat in eo sensu, in quo audiens est recepturus, si interveniat, vel conventio, aut juramentum, vel proferens, teneatur impedire justa de causa, ne proximus decipiatur per haec ambigua verba. Numquam

enim licet contrahere cum aequivocatione, nec jurare, aut testari, quia in hisce casibus aequivocatio est omnimode fugienda.

5. Cum jocose loquimur, et jocus audienti obvius est; tunc possumus sumere verba contra sensum obvium sine vitio mendacii. Cum vero advertimus, jocose loquendo, decipi proximum, statim corrigendus est sermo noster, vetat enim Charitas aliquem decipi etc.

ERROR. In contractibus. *Est unum pro alio putare*, et quadruplex est. *Substantialis*, qui versatur circa substantiam. *Accidentalis*, qui circa accidentia: *Efficiens*, qui Contractui dat ansam. *Concomitans* qui concomitatur contractum. Omnes isti errores, si substantiales sint, variant contractum, secus si accidentales, nisi fuerint deducti in pactum.

ERROR ut Impedimentum v. IMPEDIMENTA MATRIMONII *n.* 1.

ERROR vincibilis, v. CONSCIENTIA n. 3.

AETAS varia est, et quidem. Pro Tonsura, et primis tribus Ordinibus, Hostiaratu, Lectoratu, Exorcistatu, sunt anni septem completi. *c. in singulis dist.* 77. Pro Acolytatu anni 12. Pro Subdiaconatu anni 22. Pro Diaconatu anni 23. Pro Praesbiteratu anni 25. *Conc. Trid. sess.* 23. *de Reform. c.* 12. Pro Episcopatu anni 30. conmpleti Pro Cardinalatu anni 30. esto essent Cardinales Diaconi *Trid. ibid.* Pro Papatu nulla statuitur aetas.

2. AEtas requisita ad beneficium simplex est annorum 14. *Trid. ibid.* salvo statuto fundationis beneficj etc. ut decrevit S. Cong. *Conc.* 5. *Decemb.* 1629. coram Coccino Dec.

3. Aetas requisita ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Collegiata est annorum 14. et pro his quoque, standum communi dispos itioni.

4. Etas ad dignitates quascumque, cum cura animarum, est 25. annorum inceptorum saltem, et hoc cum cura animarum subest dignitati, vel Canonicatui principaliter, non accessorie.

5. Aetas requisita ad dignitates, vel Personatus in Catho-

dralibus absque animarum cura est 22. annorum *Trid. ibid.*Sic intelligendum de'Ecclesia Collegiata etc.

6. Aetas ad Generalatum, Provincialatum, Abbatissatum etc. est annorum 30. complet ex Cap. *in Cunctis*.

7. Aetas sufficiens, et requisita ad Sponsalia, est septennium completum, tam in Masculis, quam in foeminis. Ad matrimonium vero est 12. in feminis: 14. in Masculis, nisi malitia supleat etatem. Haec etas debet in utrisque esse completa.

8. Aetas ad professionem Religiosam Regularium est 16. annorum in utroque sexu in quacumque Religione *Trid.sess.*25. *de Reg. et Monach. c.* 15. Conversi vero aetate ann. 20.

9. Aetas sufficiens ad peccatum mortale, est annorum7.regulariter et tunc incipit obligatio Confessionis; Communionis vero 11. vel 12. an. salva Confessariorum dispositione.

10. Aetas, qua pueri, et puellae tenentur ad audiendam Missam, ad abstinendum a carnibus, est pariter an. 7. Ad jejunium vero aetate annorum 21.complet. Non sic lequendum de ingredientibus Religionem, tunc enim Regulae stare tenentur.

11. Aetas requisita, et sufficiens pro Patrinis Baptismi, et Confirmationis, est septennium. Ad votum emittendum, est usus rationis. Ad incurrendum Censuras est 12. annorum, Sed standum Juri statuenti,aetatem illam,in qua puerti capaces sunt malitiae, et doli.

EUCHARISTIA. Spectari potest pro ut est Sacramentum, et pro ut est Sacrificium. Nunc pro ut est Sacramentum, dicturus suo loco, pro ut est Sacrificium. Ideo

2. *Eucharistia est Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis, et vini, post consecrationem factam a Sacerdote sub verbis certis, cum debita intentione prolatis, ex institutione Divina, veraciter significans Corpus Christi, et sanguinem, sub eis realiter contineri.*

3. Eucharistiae Sacramentum fuit a Christo Domino institutum in ultima Coena, ut habetur *Matth.* 26. *etc.*

4. Materia Consecrationis Eucharistiae, est panis triticeus, ac vinum de vite, ut habetur ex variis *Conc.* et praesertim Flor, ut in Decr. Unionis. Ad valorem Eucharistiae quilibet panis triticeus sive azymus, sive fermentatus sufficit, sed de necessitate praecepti tenetur Sacerdos Latinus consecrare in Azymo, Graecus in fermentato.

5. Vino consecrando miscenda aqua modica est, et intelligitur, quod non potest, nec debet multum aquae apponi, sed sufficit quaelibet modica aqua, etiamsi esset una solum gutta sensibilis. Porro quod aqua vino admiscenda sit de praecepto Ecclesiastico, docet *Trid. sess.* 22. *c.* 7.

6. Forma Consecrationis, loquendo de consecratione Corporis Christi, est ista. *Hoc est enim Corpus meum*, et loquendo de Consecratione Calicis est. *Hic* est *enim Calix sanguinis mei novi, et aeterni Testamenti Mysterium Fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. An autem omnia supradicta verba sint de substantia, sive essentia formae, sicut et alias quaestiones, quae circa materiam, et ipsam formam agitantur, videre est apud Theologos.

7. Omnes Fideles adulti tenentur de praecepto Divino sumere SS. Eucharistiam, non tantum in mortis articulo per modum Viatici, sed etiam ante illud periculum, et quidem saepius in vita, ut docet *Joan.* 6. *Nisi manducaveritis etc.* Tempus hujus obligationis, cum non possit generatim determinari, *Conc. Gen. Later.* sub Innoc. III., praecepit, ut Fideles post annos discretionis, ad minus Paschate Sacramentum Eucharistiae reverenter suscipiant. Ad satisfaciendum huic praecepto sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paschae Resurrectionis. Quod tempus in longius extendi potest ex Episcopi, aut Parochi rationabili causa. *S. Congr. Conc.* 19. *Novem.* 1616.

8. Pro adimplendo Praecepto Paschali, Eucharistia sumenda est in propria Parochia, ex citato *Concilio*, unde si quis se communicaret in alia Ecclesia, animo satisfaciendi praecepto Ecclesiae, non satisfaceret, quia in dicto Concilio praecipitur a proprio Parocho sumendam Eucharistiam. An autem commu-

nicans in Ecclesia Cathedrali satisfaciat? *Negative* respondeo cum Card de Lugo, et aliis multis, nisi licentiam dederit Ordinarius, vel proprius Parochus. Sacerdos satisfacit pro Communione Paschali ubicumque celebret Missam, si tamen non celebret, tenetur communicare in sua Parochia, quia dum agit ut Laicus, tenetur praecepto ut Laicus. Vagi, et Peregrini, et Advenae possunt ubilibet praecepto satisfacere Paschali, etiam in Ecclesiis Regularium. *Sic graves Auctores, et Julius II. Constitutio; Dum ad Sacrum paragr.* 37.

9. Regulares non possunt in die Paschatis administrare Saecularibus Eucharistiam, etiam si tales personae in alia die praecepto satisfecerint. *S. Congregatio Concilj* 2. *Martii* 1619.

10. Per Communionem Sacrilegam non satisfit praecepto, ut constat ex propositione ordine 55.damnata ab Innocentio XI.

11. Qui culpabiliter non adimplet Paschale Praeceptum, vivens ab ingressu Ecclesiae interdicitur, et moriens sepultura privatur Ecclesiastica. Ipse tamen, qui nec confitetur, nec communicat in Paschate, non est ipso jure interdictus, sed interdicendus per sententiam; unde, si ante moriatur, non est privandus Ecclesiastica Sepultura, eo magis si dederit contritionis signa, nisi intermissio esset notoria, vel adesset Statutum Synodi in contrarium. Qui tempore Paschatis Eucharistiam non recipit, potest insuper poena pecuniaria, vel excommunicationis mulctari, ut declarat *S. Congregatio Concilj* 15. *Decemb.* 1696. Excommunicati paulo ante Pascha non sunt molestandi, si non communicant in Paschate. *S. Congregatio Episcop. et reg.* 25. *Maj* 1601.

12. Non licet in Missis Defunctorum praebere Eucharistiam, illam poscentibus, neque in Paramentis nigris nec tempore celebrationis, nec post; potest tamen ministrari per modum Sacrificii praebendo fidelibus Communionem cum particulis intra eamdem Missam consecratis, *S. Rit. Congregatio* 2. *Septeb.* 1741., Neque potest Eucaristia ministrari fidelibus in nocte Nativitatis Domini, non obstante quocumque privilegio. *S. Rit. Congregatio* 7. *Septeb.* 1741.

13. Eucharistia praeberi potest pueris de Fidei mysteriis in-

structis. *S. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. a. 5., et S. Carolus Borromaeus*. Similiter et mutis, et surdis, praesertim in Paschate, et mortis articulo, Sic et Energumenis, Epilepticis, semifatuis, stolidis etc. posito lucido intervallo.

14. Aegrotus tenetur ex praecepto Divino Eucharistiam sumere per modum viatici, posito Medicorum Judicio, jejunus, vel non. *S. Thom. 3. p. q. 73. a. 4.* Mane ex devotione communicato, supervenit mortis periculum, tenetur ne eodem die per modum Viatici communicare? Affirmat. respond. quia praeceptum Viatici mane non obligabat, et licet una die duplex prohibeatur Communio, hoc tamen est solum praeceptum Ecclesiasticum, quod debet cedere Divino, communicandi per modum Viatici.

15. Communio quotidiana, absolute loquendo, non expedit omnibus indifferenter, et judicio prudentis Directoris standum duco, qui devotis personis, et praecipue Monialibus, quas dirigunt, saepe petentibus, aut etiam quotidie negare non debent Communionem, si dignae judicentur, cum ista a SS. Patribus commendetur, et summe optat *Trid. sess. 22. c. 6.* Non tamen omittendum speciale Decretum. *S. Congregatio. Concil. 12. Februar. 1619. S. Thom. et alii*.

16. Eucharistia, quae pro infirmis asservatur, singulis octo, aut ad plus 15. diebus renovanda est a Graecis; a Latinis vero qualibet Dominica absolute. *S. Congregatio Episcop. Ravenn. 5. April.* 1573. v. RENOVATIO

17. Praeparatio ad Eucharistiam, et quidem ex parte corporis requiritur. 1. Jejunium, exceptis aliquibus casibus. 2. Castitas et puritas corporis. 3. Habitus modestiae, et pietati conformis. Ex parte animae requiritur. 1. Justitia, et sanctitas vitae. 2. Sincerus amor Dei, et sincera in proximum charitas. 3. Fides vivida. 4. Sincera humilitas etc. Super hoc adest Opusculum a me conscriptum italico Idiomate, cui titulus. *La Fanciulla alla prima Communione*, praelo nuper datum.

18. Effectus Eucharistiae. Cum Eucharistia non confert per se remissionem peccati mortalis, quia est Sacramentum vivo-

rum, et qui illam recipit, obicem ponere non debet. Hinc. 1. Effectus est. Intima fidelium cum Christo Capite conjunctio 2. Spiritualis animae refectio 3. Peccatorum venialium remissio, et adversus mortale praesidium 4. Imminutio fomitis peccati 5. Vitae aeternae, et futurae resurrectionis, quasi pignus 6. Remissio peccati mortalis per accidens, si nempe percipiatur ab eo quidem in peccato mortali, cujus conscientiam, et affectum non habet, forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote, et reverenter accedens, consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, qua contritionem perficiat, et remissionem peccati. *S. Thom. q 78. a. 3*

19. Eucharistia suum producit effectum, cum in stomacho emittitur, quia tunc verum est dicere, quod nutriat vitam spiritualem animae.

20. Habens affectum ad peccatum veniale, esto non consequatur fervorem charitatis, et dulcedinem actualis refectionis, non tamen amittit augmentum gratiae habitualis, vel charitatis. *S. Thom. ib.*

21. Eucharistia, quatenus Sacramentum, non potest prodesse directe *ex opere operato* aliis, quam sumentibus, quia per modum cibi fuit instituta, et cibus soli prodest sumenti. Prodesse tamen potest indirecte *ex opere operantis*, si nimirum communicans in aliorum spirituale levamen, suam offerat communionem. *S. Thom. ib.*

22. Realem praesentiam Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia negarunt multi, ut videre est in fine; *Mant. 11. De Eucharistia credenda*. Verum.

23. Dogma realis presentiae demostratur aperte ex verbis *Joan. 6. Panis, quem ego dabo, Caro mea est*. Ex verbis *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus* etc. Demonstratur ex Traditione, et Testes sunt Concilia, et Patres; ajunt omnes Theologi.

24. Christus non est in Eucharistia per *impanationem*, nam Impanatio est unio hypostatica Christi cum pane. Nec ponitur in Eucharistia per *consubstantiationem*, nam consubstan-

tiatio est simultanea panis, et Corporis Christi praesentia in Eucharistia. De fide enim est, quod tota substantia panis convertitur in Corpus Christi, et est consequenter de fide, quod non remanet panis in Eucharistia, ut contra Lutherum definivit Ecclesia.

25. Ergo Corpus, et Sanguis Christi ponitur in Eucharistia per *transubstantiationem*, quae ex Trid. *est mirabilis, et singularis conversio totius substantiae* panis *in Corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini*. Quae transubstantiatio est vera Corporis, et Sanguinis Christi reproductio. Nam corpus, et sanguis Christi in Eucharistia accipiunt, idem numero esse, secundum gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos.

26. Duplici modo potest aliquid poni in Eucharistia. 1. *Vi verborum*. 2. *Per concomitantiam*. Vi verborum ponitur in Eucharistia, solum corpus sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini. Per concomitantiam vero ponitur. 1. Sub specie panis ponitur sanguis, et anima. 2. Sub specie vini ponitur corpus et anima. 3. Sub utraque specie ponitur Divinitas, quia, quod semel Christi Divinitas assumpsit, numquam dimisit.

27. Totus Christus est sub qualibet minima parte, separatione facta, ut definivit *Trid. sess.* 14. *can.* 3. Est etiam ante separationem, nam per divisionem, non fit nova consecratio, quae de novo sistat corpus praesens: nec sequitur, quod Christus pluries sit in eadem hostia, nam numerus divisionem supponit.

28. Corpus Christi in Eucharistia habet suam quantitatem internam, quae est accidens, quod distinguit partes a partibus in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad extensionem externam, et impenetrationem. Non habet vero quantitatem externam, quae est accidens, quod extendit substantiam in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loco, altera alteri cum actuali impenetratione, et resistentia. Ergo licet Christus in Eucharistia possit elicere

actiones spirituales, ut sunt volitio, intellectio, nequit ideo elicere actiones a sensibus dependentes, ut sunt visio, auditio etc. Ergo Christus in Eucharistia non potest pati alterationem, ab agentibus naturalibus, ut calefieri, frigefieri etc.

29. Restat aliquid dicendum de Accidentibus, et *Not.* Duplex est accidentium subjectum *Mediatum*, quod est substantia, cui inhaeret tota collectio accidentium. *Immediatum*, quod est quantitas, cui insunt alia accidentia. Hoc posito.

30. Accidentia non habent subiectum *mediatum*, quia tota substantia panis, et vini conversa est in Corpus, et Sanguinem Christi, ut defin. *Trid. sess.* 13. *can.* 2. Habent vero Subiectum *immediatum*, quia, sicut accidentia panis, et vini, puta *calor*, *frigus*, subiectabantur immediate in quantitate ante consecrationem, et mediante quantitate in ipsa panis substantia, ita et post consecrationem, sublata substantia, subiectantur in quantitate v. *Melius Theologos*, *et praecipues SS. Thom. et Bonavent.*

31. Tandem Corpus Christi desinit esse sub speciebus; cum accidentia necessaria ad conservandam substantiam panis, et vini corrupta sunt. v. MANTIS II.

EUCHARISTIA pro ut est Sacrificium. v. SACRIFICIUM. v. RENOVATIO SSMI. SACRAMENTI, quae debet fieri qualibet Dominica, non autem diferri ad 15. dies. *Notanda*, circa Eucharistiam.

„ 1. Si Diaconus deferret Eucharistiam Sacerdoti in mor-
„ tis articulo constituti, ipse Sacerdos, si comode possit,
„ se propriis manibus debet communicari. Diana 2. *Tract.*
„ 2. *n.* 53. sed est etiam probabile, quod in tali casu Dia-
„ conus possit in os Presbyteri sacram immittere particu-
„ culam.

„ 2. Sacrum Viaticum aegrotanti in Navi constituto de-
„ bet deferri.

„ 3. Eucaristia illi deneganda est, quem Sacerdos extra con-
„ fessionem novit illam petere, superstitionis, vel concul-
„ candae causa, etiam si publice petat, et secutura sit in-

„ famia petentis, populique scandalum. *Bonac*, *de Sa-*
„ *cram. disp.*

„ Eucharistia in Parasceve solis danda infirmis *S. C.*

„ 5. Homini rabido sive per morsum Canis, sive alterius
„ hominis non dabitur communio, quia Medicorum schola do-
„ cet tales nihil posse deglutire, secus autem, si posset de-
„ glutire.

„ 6. Advertendum ex pluribus auctoribus, quod cum da-
„ tur Benedictio cum SSmo. Sacram. in Pixide, haec coo-
„ periri non debet velo humerali, sed danda manibus ve-
„ latis detecta Pixide.

„ 7. Ex decr. S. R. C. 1701. m. Jan. ante Ostiolum SSmi.
„ Sacram. retineri non potest vas florum, vel quid simile,
„ quod praedictum occupet Ostiolum cum Imagine D. N.
„ Jesu Cristi in eodem insculpta.

EVICTIO. v. JUS EVICTIONIS.

EUTRAPELIA. *Est virtus, in recreationibus honestis, atque ad animi, et Corporis refocillationem susceptis; rectum rationis moderamen servans*; nam excessus in eisdem, sicut, et nimius defectus in vitio sunt, ut ait D. Thom.

EXCEPTIO. *Est actionis, vel intentionis exclusio*. Exceptionum omnium divisio, ad duo genera deducitur, idest, aut *Dilatoria*, aut *Peremptoria*. Dilatoriae sunt, quae rem, et Judicium differunt. Harum quaedam Judicis personam respiciunt, quaedam agentes, quaedam reos conventos, quaedam actiones, et causas Peremptorias, sive elisoriae exceptiones sunt, quae in totum jus Agentis perimunt, et semper agentibus obstant; ut, Doli mali, Metus, Pacti conventi, transactionis etc. Istae, aliae sunt peremptoriae litis finitae, aliae simpliciter Peremptoriae. v. *Canonist.*

EXCESSUS. Tam in cibo, quam in potu, ita affinis est luxuriei, ut unum vitium vix sine alio comite inveniam. *Script. S. Thom.* 2. 2. *q.* 148. *n.* 1. Ideo pro Arbitri casuum necessitate, haec consectaria pono.

2. Toties illicitus est, cibi, potusve usus, sive in privatis refectionibus, sive in Conviviis sumptus, quoties ordo ratio-

nis non servatur, vel quoad ciborum *substantiam*, ut cum fercula appetuntur lautiora statui incompetentia, vel quoad *quantitatem*, ut cum plus cibi sumitur, quam ratio requirit: vel quoad *qualitatem*, ut, cum nimia adhibetur curiositas in cibis parandis etc., vel ratione *modi*, ut, cum non habetur ratio decori, quod observari debet: vel ratione *temporis*, cum vel saepius, quam par est, vel cum tempore, quo non oportet, cibis sumendis indulgentur.

3. Toties excessus in potu, vel cibo est grave peccatum, quoties per illum excessum violatur, vel charitas erga Deum, vel erga nosmetipsos, ut, cum per talem excessum sanitas periclitatur, vel ratio obruitur, vel cum violator erga proximum, ut cum per talem Excessum, scandalum sumus fratribus, vel demum cum per illum excessum, praeceptum aliquod Ecclesiae violatur. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 148. *a.* 2.

4. Obiter subiungo. Quod excessus in cibo, et potu, maxime prohibetur Clericis, Mulieribus, Juvenibus, et Magistratibus, quia ipsis maxime convenit sobrietas, ut docet *S. Thom. ib.*

EXCOMMUNICATIO. *Est ecclesiastica Censura, qua fidelis ob culpam aliquam gravem communione bonorum Ecclesiae privatur vel omnium, vel ex parte.*

Not. 1. Ecclesia habet potestatem infligendi censuras, seu poenas spirituales, quibus fideles baptizati contumaces, non *interfectorie*, sed *medicinaliter*, privantur usu aliquorum bonorum spiritualium, quae sunt in Ecclesia. Christus enim suam Ecclesiam fundando, dedit Pastoribus facultatem, non solum reconciliandi peccatores poenitentes, sed coercendi rebelles, et contumaces. *Joan.* 20. *v.* 23. Quod probatur ex Conc. *Constantien. sess.* 8., *Trid. sess.* 24. *de Ref. c.* 3. Debent ideo omnes Christiani censuras Ecclesiasticas magis, quam poenas temporales metuere, quia poenae temporales affligunt corpus, spirituales vero animam, ut admonet *Chrysost. S. Tom.* 4. *in Ep. ad Hebreos* Caveant ideo Pastores, ne censuris utantur in vindictam privatae offensae, sed solum in bonum Ecclesiae, cumque judicant necessariam esse Censuram, in-

viti id faciant cum gemitu, et moerore, ut docent Patres.

Not. 2. Non novus, sed antiquissimus est tum in Sinagoga, tum in Ecclesia Censurarum usus. Deus enim, ut Auctor censurarum, Adamum, velut aliqua excommunicatione, e Paradiso ejecit, eique ligni usum interdixit. Unde in Solemnis Poenitentiae impositione Sacerdos, inflictam primis Parentibus censuram commemorat, ut sciamus, non novum, sed antiquum esse Censurarum usum. *Ecce*, inquit, *ejiceris hodie de limitibus S. Matris Ecclesiae propter peccata tua, sicut Adam ejectus est de Paradiso propter transgressionem suam*. Hinc sequitur, quod Ecclesia a tempore Apostolorum usque ad nos, censuris usa est, et ab istis, ad Episcopos succedentes transiit, ut ait *Tertull. Apol. c.* 39. *et alii cum illo*. Nunc.

1. Excommunicatio duplex est. *Major*, et *Minor*. Prima *est*, ut dixi, *Censura, qua Christianus Ecclesiae Matri rebellis non solum segregatur a participatione Sacramentorum, sed etiam jure bonorum toti Ecclesiae corpori communium, et proinde fidelium societate privatur*. Excommunicatio Minor *est censura, qua homo baptizatus receptione Sacramentorum, et electione passiva ad beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam, privatur*.

2. Excommunicatio Major dicitur etiam *Relegatio*, a Tertulliano *Abstinentia*, a Cipriano *Anathema* etc. Ex communicatus, alius est *occultus*, alius *manifestus*, alius *nominatus*, alius *non*; alius *tolleratus*, alius, *non*. *Occultus* ille est, qui admisit aliquod crimen, cui adnexa est major excommunicatio, sed res occulta est: *Manifestus* ille est, qui commisit actionem, cui annexa est excommunicatio major, quae actio manifesta est vel publicitate juris, vel facti. Excommunicatus *nominatus* ille est, qui incidit in casum, cui annexa est excommunicatio major, et citatus fuit juridice, nec comparet. Excommunicatus *non nominatus*, ille est, qui incidit in casum, cui annexa est excommunicatio major, sed non fuit nominatim a Judice citatus. Excommunicatus *non tolleratus* est ille, quem fideles tenentur fugere, quem

si non fugiant, incidunt in excommunicationem minorem.

3. Effectus majoris excommunicationis sunt: quod excommunicatus privatur omnibus bonis, quae debentur fideli, quatenus est Filius Dei; membrum Ecclesiae, et Reipublicae Ecclesiasticae, ideoque excommunicatio privat. 1. Communione gratiae. 2. Communione Sacramentorum. 3. Communione precum. 4. *indirecte* communione civili. Communione gratiae, quia excommunicatus est separatus a Christo, traditus Satanae, segregatus ab Ecclesia. Communione Sacramentorum, quatenus nequit licite recipere Sacramenta, nec non Divinis interesse Officiis. Sepultura privatur Ecclesiastica, quae est veluti Sacramentum futurae resurrectionis. Quoad Forum Ecclesiasticum, Excommunicatus est inhabilis ad quaecumque beneficia Ecclesiastica obtinenda. 2. Clericus excommunicatus privatur omni Ecclesiastica jurisdictione, et facultate agendi coram Ecclesiasticis viris. 3. Contrahit irregularitatem, si ordinis actum exerceat; Quaecumque Pontificia Rescripta nulla sunt in favorem excommunicati nisi, per ea Excommunicatio tollatur. 5. Quamdiu excommunicatione innodatus est, non potest beneficii Ecclesiastici fructus percipere. Relative ad Forum externum Civile, Excommunicatus *infamis* est, ideoque omnibus privatur bonis, hoc versu contentis.

Os, orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Os, quia non licet colloqui cum eo, sive verbis fiat, sive epistolis, vel alio modo. *Orare*, quia non licet cum eo preces fundere, Breviarii horas recitare, simulque cum eo suffragia offerre. *Vale*, quia non licet salutationes, signa reverentiae, nec illi munera deferre, nec resalutare. *Communio*, quia non licet cum eo habitare, negotiari, operi sociari *etc. Mensa*, quia non licet in eadem mensa cum eo edere, in eodem lecto dormire, alioquin excomunicatio incurritur dicente. *S. Matth. c. 18. v. 17. Sit tibi velut, Etnichus et Publicanus.*

4. Nemo vitare tenetur excommunicatum excommunicatione majori, nisi sit nominatim denunciatus, vel ob evidentiam patrati criminis ipso facto excommunicatus agnoscatur; ideo Christiani non tenentur vitare etiam secreto excommunicatos occultos, et licite possunt cum illis communicare vel in spiritualibus, vel temporalibus; sed nec tenenentur vitare etiam publice excommunicatos manifestos, et non denunciatos, nisi sint juridice, et manifeste denunciati.

5. Peccat tamen graviter, qui cum excommunicato denunciato communicat, vel in crimine, vel in Divinis, immo etiam in Civilibus, si in contemptum Ecclesiae fiat. Unde et peccat mortaliter, et incidit in excommunicationem minorem sive Laicus, sive Clericus, qui publice orat pro Excommunicato precibus illis, quas adhibet Ecclesia, ut ejus in Missa commemorationem facere etc. Ecclesia enim vetat fieri publicas pro istis preces; sic esset de eo, qui publice pro excommunicato oraret *D. Thom. Supplem. q.* 21. *a.* 1. *ad* 1.

Not. Licet tamen pro Excommunicatis in genere orare, sed non inter orationes, quae fiunt pro membris Ecclesiae. Sic enim orari solet pro Schismaticis, et Haereticis, pro perfidis Judaeis in die Parasceve, qui tamen ipso jure excommunicati sunt. Ecclesia enim pro eis rogat, non sub excommunicatorum nomine, sed peccatorum. Licet etiam in particulari pro excommunicatis sive in communi, sive privatim orare, ut Parochi pro suis ovibus etc.

6. Christianus potest cum excommmunicato communicare, quoties, honor Dei, utilitas propria, vel proximi exigunt, et hoc in 5. casibus.

Utile, *Lex*, *Humile*, *Res ignorata*, *Necesse*.

Utile idest, utilitas spiritualis excommunicati, ut doceatur, et ad obbedientiam inclinetur, et hoc eorum est, quibus animae ipsius cura commissa est. Lex conjugii scilicet, a qua non dispensatur unus excommunicatione alterius.

Humile, idest subiectio, et obbedientia, quam Filii debent parentibus, servi dominis. *Res ignorata*, idest, cum aliquis nescit bona fide, aliquem excommunicatione percussum, et cum eo communicat. *necesse*, idest, cum negotiorum necessitas hoc indispensabiliter postulat.

7. Excommunicatus sive manifestus, sive occultus graviter peccat, et novas incurrit Ecclesiasticas poenas, si pertinaciter contra Ecclesiae vetitum, Divinis se se velit ingerere. Sed de excommunicatione minori addendum ad claritatem.

8. Excommunicatus excommunicatione minori peccat graviter, Sacrum faciendo, sed non incurrit irregularitatem *cap. si celebrat*, at non privatur activa partecipatione Sacramentorum, nam potest absolvere, electum confirmare, Sacramenta omnia administrare. 2. Privatur electione passiva ad beneficium, sed non activa, idest, eligere non eligi potest, et si eligeretur, electio non esset irrita, sed irritanda. Excommunicatio Minor incurritur communicando cum excommunicato publico, Clerici percussore etc.

9. Ut quis declaretur excommunicatus ob ommissum praeceptum Communionis Paschalis: haec sunt a Parocho observanda. 1. Debet legere in Missa Solemni Decretum Concilii *Later.* et *Trid.* et declarare in communi aliquos esse in Parochia, qui huic praecepto non satisfecerunt, et ubi tribus diebus Dominicis praestiterit, debet eos admonere secreto, qui Pascahalem omiserunt communionem, qui si non pareant, indicet Episcopo. 2. Debet Parochus attestationem habere a Parochianis, se tribus diebus Dominicis admonuisse populum, aliquos esse in Parochia, qui praeceptum Paschale non observarunt, quibus comminatus est delaturum ad Episcopum. 3. Oportet, ut Episcopus eos decl aret Promotori etc. 4. Si citati non compareant, debet Promotor eos compellere; Si renuant, contra eos, tamquam contra rebelles, procedat. 5. Si compareant, Judex, eos audiat, et ad obedientiam charitative reducat. Hisce omnibus factis, si non quiescant, eos in Pronao, *atrio della Chiesa*, declaret publice excom-

municatos, nomen eorum ad valvas Ecclesiae apponere, qui ad Ecclesiae conventum non erunt postea admittendi, sed cum eis agendum, quasi cum excommunicatis, publiceque denunciatis etc.

10. Excommunicatio alia est reservata, alia non. Non reservata illa est, a qua absolvere potest qnilibet approbatus Sacerdos. Reservata, illa est, a qua quilibet absolvere nequit. Haec, alia est Summo Pontifici reservata, alia Episcopis. Utraque aliquando fit jure communi, aliquando jure, in Gallia, aliisque Regnis etc.

11. Excommunicationes Papae reservatae juxta Bullam in Coena Domini, et quidem: 1. Excommunicantur Haeretici, Schismatici, et eorum fautores. 2. Appellantes ad futurum Concilium, 3. Piratae et eorum fautores. 4. Surripientes naufragantium bona. 5. Imponentes novas gabellas. 6. Falsarii literarum Apostolicarum. 7. Deferentes arma Turcis. 8. Impedientes eos, qui necessaria Romam vehunt. 9. Laedentes eos, qui veniunt in Urbem Romam, vel, qui ab ea recedunt, vel qui in illa commorantur. 10. Male tractantes Peregrinos, et Romipetas. 11. Offendentes eos, qui recurrunt ad Romanam Curiam: 13. Appellantes ab Ecclesiastico Foro ad Laicam potestatem. 14. Impedientes executionem literarum Apostolicarum, 16. Judices Saeculares Ecclesiasticas Personas ad sua Tribunalia trahentes. 16. Impedientes jurisdictionem Praelatorum, 17. Usurpantes, et sequestrantes fructus Ecclesiasticos. 18. Imponentes gravamen Personis Ecclesiasticis. 19. Judices Saeculares de Clericorum Criminibus cognoscentes. 20. Occupantes bona Sedis Apostolicae.

12. Sunt et sequentes extra Bullam Coenae Summo Pontifici reservatae. 1. Percutientes Clericos, et Monachos, et violentiam ipsis inferenter *c. si quis suadente Diabulo*. 2. Clerici sponte, et scienter comnnicantes in Divinis cum excommnnicatis a Papa. 3. Incendiarii post publicam denunciationem. 4. Spoliantes Ecclesias cum effractione Portarnm. 5. Erigentes in Senatorem, Rectorem, Officialem, Regem, Urbis Romanae. *c. Fundamenta de Electione*. 6. Gravantes

in Persona, vel in bonis propriis eos, qui infligunt censuras Ecclesiasticas. *c. quicumque de Sentent. Excomm.* 7. Inquisitores omittentes, vel committentes aliquid circa suum officium in *Clem, Dolentes*. 8. Religiosi, qui absque licentia Parochi quaedam Sacramenta conferunt, vel qui alia munera ipsis non convenientia exercent; et Religiosi, qui inducunt juramento, vel voto ad sepulturam apud ipsos eligendam in *Clement. Cupientes*. 9. Domini temporales cogentes Sacerdotem celebrare in loco interdicto, Clement. *Gravis*. 10. Exenterantes mortuos, ut in alio loco sepeliantur *Extrav. Detestanda*. 11. Dantes, et recipientes temporalia, ratione professionis faciendae: Extrav. *Sane* 12. Committentes Simoniam et Mediatores: Extrav. *Cum detestabile*. 13. Regulares mendicantes transeuntes ad aliam Religionem, excepta Religione Chartusianorum, sine licentia: Extrav. *Viam ambitiosae*, 14. Affirmantes peccare eos, qui sentiunt B. Virginem Mariam conceptam sine labe originaria, vel cum peccato originali. Extrav. *gravis*, *Nimis*. 15. Dantes, vel promittentes aliquid in Romana Curia in negotiis gratiae, et justitiae. Extrav. *Excommunicamus*. 16. Cardinales procurantes contravenire, Sede Apostolica vacante, dispositioni Julii II. latae contra committentes simoniam in electione Summi Pontificis Extrav. *Ambitiosae Cupiditati*. 18. Praedicantes Evangelicum contra sensum Doctorum approbatorum. Extrav. 16. Leonis V, 19. Accedentes ad Sepulcrum Domini sine licentia Papae. *D. Antonin. 2. p. tit. 2. c.* 30. 20. Ministri Cam. Apost. non reddentes fideliter rationem suae administrationis. Extrav. 46. Pauli III. 21. Tractantes de Summo Pontif. eligendo, vivente Papa. Extrav. 82. *Clem. VIII*. 22. Facientes Sponsiones, super vita, vel morte, vel futura vacatione Summi Pontif. Extrav. Greg. XIV, 23. Pugnantes in Duello Extrav. 82. Clementis VII. 24. Provisi de Beneficiis Curatis non deservientes personaliter in suis Ecclesiis. Extrav. 81. Pii IV. 25. Recipientes, vel retinentes Beneficia Ecclesiastica *inconpetentia* Constit. Pii IV., 26. Officiales Sacrae Penitentiariae aliquid accipientes, etiam a sponte dan-

tibus. Const. 85. Pii V. 27. Moniales exeuntes de clausura absque licentia, Const. Pii V. 28. Faeminae ingredientes Claustra Monialium. Const. 22. Pii V. quam Gregorius XIII. extendit ad faeminas ingredientes claustra virorum Regularium, nec non ad homines ingredientes Claustra monialium, etiam cum licentia Episcopi, nisi in casu necessitatis; quam Constit. extendit etiam ad Praelatos. 29. Accipientes aliquid de fructibus beneficii, primi, et ulterioris anni, Extrav. 2. Joan. XXII. 30. Publicantes Indicem Casuum cum Indulgentia concessa cuicumque solventi certam pecuniam. Const. Pii V. 31. Retinentes Christianos in servitute apud infideles. *Const.* 56. Pii V. 32. Jurantes, et jurare facientes noxia Ecclesiasticae libertati Const. 113. Gregorii XIII. 33. Admittentes resignationem Beneficiorum extra Casus in Jure expressos. Const. 58. Pii V.

13. *Contra Laicos*. Excommunicationes aliquae nulli reservatae. 1. Officiales requisiti a viris Ecclesiasticis, si negligentes non correxerint. *Can. Administratores*. 2. Saeculares imponentes oncra personis, et bonis Ecclesiast. *cap. Non minus de Immun. Eccles.* 3. Statuentes contra libertatem Ecclesiast. 4. Domini temporales non servantes ea, quae praecipiuntur in electione facienda. *c. ubisvinculum de Elect.* 5. Vexantes eos, qui noluerunt eligere Personas Ecclesiast, pro quibus fuerunt rogati *c. Sciant de Elect.* 6. Ecclesiastica bona usurpantes. *cap. Generali de Elect.* 7. Extorquentes per vim absolutionem Censurae *cap. 1. in 6. De his qui, vi etc.* 8. Compellentes Personas Ecclesiasticas ad submittendum eis Ecclesiastica jura *c. haec consultim. de Rebus Eccles. non alienan.* 9. Domini Temporales impedientes, ne eorum subditi cum Personis Ecclesiast. contrahant. *cap. eos de Imm. Eccl.* 10. Domini Temporales non parentes trhonis Officialibus. *c. ut Inquisitionis de Heret.* 11. Assassini. *c. pro humani de homic.* 12. Concedentes represalias adversus personas Ecclesiasticas, *c. de Injuriis*. 13. Inquisitores extorquentes pecunias ab inquisitis, et confiscantes bona Ec-

clesiast. pro delicto *Clementinae nolentes* 14. Cogentes ad contrahendum non libere Matrimonium. *Trid. sess.* 24. 9. *cap.* 15. Magistratus saeculares non praebentes auxilium Episcopis ad conservationem Clausurae Monialium *Trid. sess.* 25. *c.* 5.

14. Contra Laicos, et Clericos Saeculares, et Regulares; excommunicationes nemini reservatae, et 1. Nuntius Scripturam mittens ex Conclavi, vel loquens ex secreto, ex Conclav extra Conclave. *c. ubi periculum de elect.* 2. Deputati non abstinentes ab iis, quae inter Moniales in electione earum Superioris possit oriri discordia, vel orta foveri *cap. indemnitatibus de elect.* 3. Magistri scientes, docentes Religiosos in suis scholis legum, vel medicinae sine proprio habitu *c. ubi periculum*. 4. Sepelientes haereticos, vel eorum fautores in loco Sacro. 5. Sepelientes in loco sacro, vel tempore Interdicti, vel publicae excommunicationis interdictos, vel usurarios *Clementin.* 1. *de Sep.* 6. Impedientes visitationem Monialium. *In Clement. Attendentes*. 7. Contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis, vel contrahentes cum professis, vel in Sacris *Clem. unica de consanguin.* 8. Impugnantes literas Papae ante suam Coronationem confectas 9. Retinentes nomen Vicarj Imperatoris, Imperio vacante. 10. Interpraetantes Concilium Trid. sine Pontificis licentia Extrav. Pii IV. incip. *Benedictus Deus*. 11. Permittentes agitationem Taurorum, et Clerici spectantes Extrav. S. Pii V. incip. *de Salute gregis* Greg. XIII. sustulit has poenas contra Laicos. 12. Mulierum raptores, et eorum fautores. *Trid. sess.* 24. *c.* 6. *de Reform.* 13. Cogentes Mulierem ad ingrediendum Religionem, et eorum fautores. *Trid. sess.* 25. *c.* 18. *de Regularib.* 14. Imprimentes libros sine licentia. Later. *sess.* 10. *Trid. sess. nona*. 15. Asserentes non esse necessarium habenti copiam Confessarii, confiteri mortalia ante Eucharistiae sumptionem *Trid. sess.* 14. *c.* 11. *v.* MONITORIUM.

EXEMPTIO. Ecclesiastici a jurisdictione sui Ordinarii non conceditur, nisi evidenter probetur sevities exercita, aut

justus titulus, ne exerceatur; et tunc, nisi prius ad lito Ordinario, ipsoque fraterne admonito, ut mitius agat. Bened. XIV. *de Syn. Diaec. c.* 10. Tunc autem solum id fit, ut Ordinarius prohibeatur, ne ad Censuras procedat, carcerationem etc. absque obtenta facultate, aut a S. Congr., vel a suo Metropolitano.

EXHAEREDATIO. *Est exclusio haeredis, alias necessarii, ab haereditate ob legitimam caussam facta.* Ut autem rite fiat, debet fieri nominatim. Si tamen unicus sit filius, vel filia, non est necesse suo nomine vocare.

2. Causae legitimae exhaeredandi descendentes sunt 14. hisce contentae carminibus. Si Patrem feriat, vel maledicat ei - Carcere detentum, si negligat, aut furiosum - Criminis accuset vel paret insidias Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit - Testarique vetet, se societque malis - Si mimos sequitur, vitietque cubile parentum. Si mutet fidem, si filia sit meretrix.

3. Causae legitimae, ob quas liberi possunt exheredare ascendentes sunt octo. Si Pater filium accusat capitalis criminis, aut se adiungat nutui, vitaeque est insidiatus. Testari prohibet gnatum, matrique venenum praeparet. Inclusum in carcere, vel furiosum negligat: et veram contemnet Religionem. Omnes tamen istae, aliaeque causae, nihil sunt, si ante conditum Testamentum Parentes cum liberis, et vicissim, reconcilientur.

EXEQUIAE. v. CADAVER.

EXILIUM. Reus potest mitti in exilium, licet sustinuerit torturam S. Congr. 1605. mens. Novemb.

Ordinarius, non potest imponere exilium, ab urbe, quia esset impedire recursum contra Bullam Coenae.

Sacerdos exul potest celebrare si ei aliud non obstet S. Congr., et Sententia exilii non comprehendit privationem beneficii, ideoque benificiatus exul, soluta vel assecurata mercede substituti non amittit reliquos fructus beneficii S. C. 1601. 9. Jun.

Frangens exilium incidit in poenam triremii. Et poena con-

tra versatur S. Congregationi, si exilium fuit ab ea impositum. ann. 7. Novembr.

EXORCISTATUS v. ORDO. n. 12.

EXORCISTA. Hujus est munus, manus imponere supra vexatos a Spiritibus immundis, illos adjurare et ejicere. Ad hoc licite exercendum tria requiruntur. 1. Ut fiat exorcizatio ex causa gravi, non ex levitate, non ad sciscitanda a Daemone curiosa, sed ad liberandos energumenos a tirannide Diabuli. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 90, *a.* 2. Requiritur 2. Ut adjuratio Daemonis, fiat absque precibus, sed cum Imperio, et objurgatione, sic enim superbia Diabuli magis infringitur. 3. Requiritur, ut exorcizatio solemnis fiat ab habente potestatem, quae non omnibus conceditur, sed tantum aliquibus secundum Episcopi prudentiam, ideoque nemo exorcizare potest sine ordinarii facultate.

2. Exorcista si tale munus, praeterquamquod docetur in Rituali Rom., aut insolitis modis exerceat, plectitur exilio. Ad exorcizandam Monialem, neutiquam Exorcista ingredi debet Monasterium, et conceditur tantum ad benedicendas Cellas suspectas. *S. Congr. in Imolen.* 23, *Febr.* 1465.

3. Grave indicium diabolicae vexationis est. Cum ex fide jurata Medicorum constat, nulla adhibita medicamenta profuisse. Si obsessus variis loquatur linguis, si omnia horreat Sacra, si praecipitiis se exponat, si imperio etiam tacito pareat: si ecclesiam, et Sacerdotes fugiat, omniaque alia benedicta Imagines, Reliquias etc.

4. Exorcizandi ratio in Rit Rom. praescripta exacte observari debet ex Const. Bened. XIV. v. etiam Delrium *Disquis. Magic. c.* 2. *sect.* 2. *q.* 3. Monacellium *T.* 3. *tit.* 1. *form.* 47. *n.* 4. *et seq.*

EXPOSITIO. Non licet Regularibus in suis etiam Ecclesiis SS. Eucaristiae Sacramentum publice exponere, nisi ex causa publica ab Ordinario probata, Ex causa vero privata possunt, dummodo SSmum. è Tabernaculo non extrahatur, et velatum remaneat, ita ut ipsa Hostia non videatur 1602. 10. Decr.

EXTREMA UNCTIO. Definitur *Sacramentum a Christo institutum ex olei unctione, et Sacerdotis oratione constans, per quod homini graviter infirmo confertur, tum animae salus, tum corporis sanitas, si id expedierit.*

2. Est verum novae legis Sacramentum, et probabile est Dominum N. I. C. instituisse post suam resurrectionem, ut ex Trid. colligitur, dicente *Extrema. Unctio est Poenitentiae consummatum Sacramentum*. Videtur ergo institutum fuisse, eodemmet tempore, quo Poenitentia, nimirum, inter Resurrectionem, et Ascensionem.

3. Materia Remota est oleum simpliciter ex Olivis expressum, et ab Episcopo benedictum. Proxima est ipsius Olei benedicti applicatio. Infirmus septem in partibus inungi debet, ut docet Rit. Rom. nempe, oculi, aures, nares, os, et manus, veluti sensuum instrumenta homini a natura tributa, inde pedes etiam, et renes, et haec ultima unctio semper in mulieribus ob honestatem omittenda, et etiam viris, si commode moveri nequeant, nec propter hoc alia pars est inungenda: manus interius ungantur, sed Praesbyteris exterius. Mores tamen, et Ecclesiae propriae servanda statuta. Ad Sacramenti substantiam una sufficit actio, ut accidit in casu necessitatis, Rit. Rom. et si infirmo aliquod ex praedictis membris desit, prope est inungendus.

4. Extremae Unctionis forma apud Latinos est. Per *istam Sanctam unctionem* etc. ut in Rit. Rom.

5. Hujus Sacramenti Minister est solus Sacerdos, sed ad licitam administrationem requiritur ordinaria, vel delegata Jurisdictio, excepto tamen necessitatis casu.

6. Extremae Unctionis subiectum est solus infirmus, et quidem periculose aegrotus, non tamen debet esse omni sensu destitutus, ut plura notant Concilia. Solis ergo infirmis danda extremae Unctio, et quidem naturali morbo laborantibus, non morte damnatis, nec pueris, et amentibus, quia non sunt capaces, nec habent peccatum, cujus reliquiae abstergendae sint, sicut nec praeliaturis, in naufragio constitutis, mulieribus partui periculoso vicinis, et hujusmodi,

quia infirmi non sunt ex infirmitate, et ut patet ex ipsa Sacramenti definitione *S. Thom. in 4. Dist. 23. q. 1*.

7. Circa tempus hujus Sacramenti conferendi, varia fuit Ecclesiae disciplina. Olim ante Eucharistiae sumptionem ungebatur infirmus, sed nunc Ritualis Romani, et cujuscumque Ecclesiae praxis servanda.

8. Dispositiones sunt. Gratiae sanctificantis status: Vivida fides; Divinae voluntati subiectio; vehemens desiderium Regni coelestis; Detestatio peccatorum etc.

9. Extrema Unctio non est necessaria necessitate medii, sed jure Ecclesiast., et ex Trid. iterari potest.

10. Hujus Sacramenti effectus sunt. Peccatorum remissio; Interior consolatio; Alleviatio, et restitutio Sanitatis, si ita placuerit Creatori.

11. De Extrema. Unctione credenda. v. MANTIS II. n. 7.

F

FALCIDIA. Per hanc intelligitur quarta pars omnium bonorum, quae aderant tempore mortis Testatoris, deductis tamen prius aere alieno, atque expensis funerum, quam licet detrahere haeredibus institutis, *servata proportione*, a singulis legatis cum multa sunt, ut dicta quarta pars, eisdem non remaneat libera, donec ista compleatur. Et hujusmodi quarta pars appellatur Falcidia, a suo Auctore Falcidio Tribuno Plebis, qui primus legem tulit, ut quarta pars semper superesset, ac remaneret haeredibus, in Testamento institutis...

2. Falcidia non detrahitur a legatis privilegiatis, quae relinquuntur cum perpetua inalienabilitate, a legatis ad pias causas, seu legatis piis: nec ex relictis Ecclesiae, aut Confraternitatibus. Utrum autem detrahenda sit Falcidia ex legatis Piis, cum Ecclesia instituta est haeres. Pro negativa militat pars magna, ut videre est, ex *Barbosa*, *et aliis*.

3. Falcidia non habet locum in Testamento militis; neque in casu, quo Testator prohibet Falcidiae detractionem. A Legatis quae dicta sunt de Falcidia, intelligi queunt, et de *Trabellianica* positis differentiis ab Auctoribus positis scilicet, quod Trabellianica detrahitur a solo Fideicomisso universali: quod legatum haeredibus, Fideicomisso universali gravatis factum computetur in Trabellianica etc. v. TESTAMENTUM.

FALSUM, *seu* FALSITAS. *Est veritatis immutatio dolo malo in alterius praejudicium facta*. v. CRIMEN FALSI.

FALSUM testimonium. v. TESTES.

FAMA proprie loquendo, non dicitur nisi bona sit, quia est argumentum virtutis, et definitur *Illesae dignitatis status legibus et moribus comprobatus*, *et in nullo diminutus*. Hanc famam, qui negligit, crudelis est. *Ecclesiast.* 41. 15.

2. Interdum fama accipitur in malam partem, et specialiter nomine appellatur *Infamia*, idest famae privatio v. INFAMIA.

FAMULUS, et FAMULA. Famulus debet heris suis amo-

rem, obedientiam, reverentiam, et fidelitatem, eo ferme modo, quo FILII parentibus. Ideo

2. Peccat famulus, qui domino etiam discolo, duro, aspero, charitatis affectu non servit, qui prompte non obedit in iis, quae prohibita non sunt, aut qui morem gerunt domino aliquid praecipienti, vel contra legem Dei, vel Ecclesiae qui commissa ab hero suo secreta sine causa aperit; qui, quae in familia geruntur patefacit, et ea, quae silere oportet divulgat. Peccat habens dominum, aut facilem, aut lenem, aut non severum, debitam ei non impendens reverentiam. Si res sibi a Domino suo commissas fideliter non custodit, tenetur enim ex justitia, rem Domini, ac suam custodire, Si permittat grave damnum inferri domino suo, tenetur ad restitutionem. Si denique, non laboret juxta conventionem, aut deserat ante condictum tempus, tenetur restituere.

3. Famulus quoad domestica furta Certum est in famulis plus requiri ad furtum grave, quam in extraneis, quia Domini sciunt attenta humana fragilitate non posse moraliter loquendo, ita res administrare domesticas, quin aliquid, praecipue in esculentis, et poculentis manibus adhaereat ministrantium, sicut, qui ducit colonos ad vineam, suadetur aliquid uvarum abipsis comedendum fore.

4. Quaenam quantitas sufficiat ad mortale peccatum in famulis, et ancillis? pendet a circumstantiis. Hinc materiae acceptae consideranda est quantitas, et qualitas, an pecuniae sint, an vestes etc. In poculentis enim, et esculentis, non erit adeo invitus Dominus, ut in aliis materiis. Videndum etiam, an surrepta in proprios convertat usus, an vero aliis donet, et quibus? Attenda conditio, et status Domini, et ex his aliisque circumstantiis, prudenter judicandum erit.

5. Et ne circa domestica furta famulis laxetur habena, adest Innoc. XI. damnata propositio. Si vero pateat clare herum committere injustitiam, vel minuendo salarium ex justitia debitum, vel non solvendo pactam mercedem, tunc dicta propositio non habet locum, et poterunt famuli in judicio petere aequalitatem mercedis sibi debitae, et si nequeant obtinere,

extrajudicialiter, sibi occulte compensare poterunt survatis semper debitis occultae compensationis modis.

FAVORES AMPLIANDI. v: ODIA

FESTUM SS. TRINITATIS a S. Greg. IV, institutum est et a Joanne XXII. toti Ecclesiae determinatum. Enim vero Natalis Domini est Festum Patris, cui natus est Filius Pascha est Festum Filii, qui resurrexit a mortuis. Pentecostes est Festum Spiritus Sancti, qui descendit super Apostolos. Ideoque in hac die in honorem trium Divinarum Personarum celebrari praecepit. *Durand. l. 7. c. 18.*

FESTORUM OBSERVANTIA. Est tertium Decalogi praeceptum; et intelligitur, *Religiosa cujusdam diei determinatae ad Deum colendum observatio.* Obligat sub mortali, ut constat ex omnium fidelium sensu, et ex damnatione hujus Propositionis ab Innoc. XI. *Praeceptum servandi festa, non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

2. Quaenam sint opera diebus festis exercenda; dico: Praeter Missam debent exerceri Opera Religionis, et charitatis, ut exponit Concil. Aquen. Hinc, qui Vesperis non interest, juxta *D. Antoninum*, committit, peccatum veniale, nisi supleat per alia pietatis opera, ut conciones audire, benedictiones, Officia Divina etc., nam Ecclesia Missae auditionem praecipiendo, necessario praecipere debuit, et alia opera Sacra, esto non exprimantur, ut Dei Praecepto satisfiat *Sabbata sanctifices*, qui tales dies, dixit, voluit, stricteque jussit, esse sibi Sacros.

3. Opera servilia, prohibita sunt diebus Dominicis, et festis. Accedit communis Praxis Ecclesiae, et Doctorum consensus. Porro hoc praeceptum obligat sub mortali, ex genere suo; et ideo a mortali excusat materiae parvitas: immo excusat a toto peccato, si opera non sint ita servilia, quin conveniant nobilibus, perinde, ac servis: ut sunt piscatio, venatio etc. modo operibus istis ita servlatur ut nihil praetermittatur eorum, quae sunt ad piam festorum celebrationem necessaria.

4. Opera non servilia, quae a Jure diebus Dominicis, et Festis prohibentur sunt. 1. *Placitum*, idest omnis actus judicialis factus cum strepitu. 2. *Juramentum* etiam extrajudiciale puta in instrumento contractus. 3. *Mercatus*, idest nundinae, omnesque actus mercandi, qui fiunt, maxime cum instrumento publico, quia haec, et similia a pietate distrahunt, et cultu Divino, quod totum ex prudenti judicio est diiudicandum.

5. Causae excusantes ab obligatione non emittendi opera prohibita diebus festis sunt. 1. *Consuetudo* legitime introducta, sic permittuntur, emptiones, et venditiones rerum necessariarum, parvique momenti, clausa officina. 2. *Pietas* erga Deum, sic licet Altaria instruere, templa ornare etc. 3. *Charitas* erga proximum, ut medicamina infirmis parare, eisque servire etc. 4. *Utilitas* publica, sic licet in ortu, aut adventu Principis, Theatra, et Arcus perficere etc. 5. *Necessitas*, vel propria, vel aliena, spiritualis, vel temporalis, quae praeveniri non potest, vel non potuit. Nam Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum ait Christus. *Marcus* 2. v. NUNDINAE.

6. Per quodvis peccatum mortale graviter violatur praeceptum de sanctificatione Festorum, ita ut circumstantia Festi addat novam malitiae speciem mortalis contra Religionem in confessione aperiendam. Pro hac sententia tota militat antiquitas veneranda. Quae doctrina ait *Liranus* est, ab Arbitro casuum fideliter strenueque tenenda, totoque practicanda conatu. v. *Alibi*. *La S. M. di Pio VI. l' anno del Signore 1798. dispensò le seguenti Feste. S. Mattia Apostolo Seconda, e Terza di Pasqua. SS. Filippo e Giacomo, Invenzione della S. Croce, Seconda, e Terza di Pentecoste. S. Giacomo Apostolo. S. Anna. S. Lorenzo Martire. San Bartolomeo Apostolo. S. Matteo Apostolo SS. Simone, e Giuda. S. Andrea Apostolo. San Tommaso Apostolo. S. Stefano Protomartire. SS. Innocenti. S. Silvestro Papa.*

NOTA. *Tutte le sopradette Feste. non portano obligo di Messa, nè di digiunare nelle loro vigilie.*

Per compensare però in parte le Vigilie, vuole lo stesso S. Pontefice con autorità Apostolica, che tutti i Fedeli dell'uno, e l'altro sesso obligati al digiuno, che digiunino in ciascun Venerdì, e Sabato del Sacro Avvento, con permesso di usare Latticinj, non però ne' due giorni, che vi si incontrano le Tempora.

FEUDUM. *Est contractus rei immobilis, cujus tantum dominium utile, seu indirectum transfertur in accipientem, retento dominio directo apud concedentem, cum onere non aliquid solvendi, sed exhibendi directo Domino fidelitatem, et obsequium.*

2. Communior, ac probabilior opinio est; Feuda originem habuisse, primitusque concessa a Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, et in libris Feudorum sepius fit mentio Longobardorum, eorumque legum.

3. Agendum hic esset de Feudo Ecclesiastico, sed quia nimis in longum iret brevitas praefixa, praestat videre Card. De Luca. *De Feudis*.

FICTIO. *Est indispositio recipientis impediens effectum Sacramenti, dum Sacramentum ceteroquin est validum*. Haec duplex est. *Positiva*, cum quis scienter Sacramentum suscipit, sciens se esse indispositum, et iste peccat, idque solum in Sacramentis characterem imprimentibus. *Negativa*, dum quis indispositus ad Sacramentum accedit, hoc tamen invincibiliter ignorans, ideoque recipiendo non peccat.

2. Sacramenta ergo scienter indisposite suscepta dicuntur sacrilege suscepta, sive characterem imprimant, sive non sublata tamen fictione per Sacramentum Poenitentiae. Quae characterem non imprimunt, non reviviscunt; in illis vero quae imprimunt, locum habet reviviscentia, quia haec amplius repeti non possunt propter characteris impressionem.

FIDEICOMISSUM. *Est haereditas, vel pars illius, quam haeres a Testatore rogatur, vel jubetur, alteri restituere.* Vocatur etiam haeres fiduciarius, fideicommissarius etc.

2. Fideicomissum, aliud est *Universale*, cum tota haereditas vel certa ejus quota debet alteri restitui; *Particulare*,

cum non tota haereditas, vel quota, sed solum res aliqua particularis restitui debet, sequiturque naturam Legati. *Reinffestuel fusius*.

FIDEJUSSIO SICURTA FIDEJUSSOR est *alienae obligationis in se susceptio*. Fidejussores sunt, qui pro alienis intercedunt debitis.

2. Discrimen inter debitorem, et fidejussorem est, quod debitor principaliter obligetur. Fidejussor in defectum debitoris, qui regulariter solvere non tenetur, nisi convento, et excusso debitore principali, excepto pacto quo promiscue tam principalis, quam Fidejussor conveniri possit, tunc enim pactis standum.

3. Fidejussio duplex est. *Judicialis*. ut reus e carcere egrediens, fidejussoribus datis, promittit se in judicio compariturum, quoties id Judex jubebit. *Extrajudicialis*, cum quis se obligat ad solvendum pro alio casu, quo debitor non possit. Fidejussor obligari nequit, plusquam ejus principalis; minus obligari potest, quia obligatio Fidejussoris est accessio principalis obligationis.

4. Qui pecuniam mutuam dat, non potest quidquam exigere, ex eo quod se abstineat a petenda fidejussione.

5. Qui fidejubet pro alio, nempe pro debitore, nihil exigere potest, pro tali fidejussione, quia talis debitor semper remanet obligatus ad resarciendum fidejussoris debitum; qui vero requisitus a debitore fidejubet, potest a Creditore ipso, pro hac fidejussione aliquid exigere,quiatalis assecuratio est pretio aestimabilis,et sejuncta a mutuo. Si Fidejussor damnum fuerit passus, hoc a debitore reparari debet.

6. Obligatio Fidejusroris transit ad haeredes, quia realis est, non personalis. Si Fidejussor non habet in bonis, unde solvat, peccat pro alio fidejubendo, quia dat periculi, vel damni occasionem.

7. Fidejussor agere potest in judicio contra debitorem. 1. Si debitor solutionem debiti multum protraxit. 2. Si bona sua dilapidat. 3. Si fidejussor condemnatus fuerit a Judice ad solvendum pro eo. 4. Si pro principali debitore solverit, aut

cum eo convenerit, ut se a Fidejussione intra tale tempus liberare teneatur.

FIDES est *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*. *S. Paulus*, *Sive*. Est *virtus divinitus infusa*, *cujus vi assentimur* iis, *quae a Deo* Ecclesiae *sunt revelata*. Trid. *sess*. 6. *c*. 7.

2. Multipliciter dividitur fides. Alia est *implicita* in qua, quasi in uno multa continentur. Alia est *Explicita* in qua unumquodque ipsorum continetur in se. Alia est *Actualis*, et sunt actus producti ex habitu fidei, qui vel *interiores* sunt, ut firmus assensus rebus divinis; vel *exteriores*, ut signum externum, et sensibile, quo significamus id, quod interius sentimus. Alia est *Habitualis*, et est virtus Theologica et habitus supernaturalis intellectus, quo firmiter assentimur omnibcs a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis: Alia est *viva*, quae animatur a charitate. Alia *mortua*, quae est sine charitate, et dicitur *informis*. Alia est *historica*, et est ea, qua assentimur omnibus a Deo revelatis. Alia est *Promissionis*, et est fiducia obtinendi, quae Deus promittit, et duplex est; *Generalis*, qua credimus Deum remissurum peccata omnibus vere poenitentibus: daturum omnibus justis vitam aeternam: *Particularis*, quam assignat Calvinus, de qua non est hic sermo. Alia est *Spiritus Sancti* donum, et est gratia gratis data. Alia *Theologica*, et est omnium virtutum, et bonorum omnium initium.

3. Fides *Explicita*, illa est, qua non solum credimus, verum etiam scimus, quae nobis credenda proponit Ecclesia. Hac explicita fide, credendi sunt omnes articuli fidei, septem Ecclesiae Sacramenta. *Implicita* fides est ea, qua credimus sed ignoramus; quod nobis credendum proponit Ecclesia. Hac fide credenda sunt alia credibilia, scilicet, in praeparatione animi.

4. Objectum fidei duplex est. *Materiale*, et sunt res omnes quae a Deo sunt revelatae; ita tamen, ut Deus sit Objectum primarium, cetera vero secundarium. *Formale*, est prima veritas in dicendo, seu est revelatio Dei summe veracis.

5. Proprietates fidei sunt 1. *Supernaturalitas*, cujus motivum, nempe Divina Revelatio, est Supernaturale cujusque Principium productivum, est pariter supernaturale, cum sit auxilium gratiae. 2. *Certitudo*. Assensus enim fidei certior est, quolibet scientifico assensu, nam Divina Revelatio, quae est motivum assensus fidei, certitudine longe superat lumen naturale rationis - *S. Thom. 2. 2. q. 4. a. 8. Obscuritas* est tertia fidei proprietas, . Debet enim esse obscura, ex parte rei revelatae, hoc est, non debet clare et evidenter ostendere revelatam prout est a parte rei, enim ex Apost. sit *argumentum non apparentium*. 4. *Credibilitas*, Nam fides argumentis probatur, sive motivis evidentibus, et irrefragabilibus. Motiva credibilitatis sunt, Sanctitas Christi Auctoris fidei nostrae. Sanctitas doctrinae nostrae Religionis; Stupendus modus propagationis hujus doctrinae: Admiranda totius mundi conversio. Nunquam interrupta inter persecutiones Religionis nostrae perseverantia, et integritas: Vaticinia Prophetarum, et Sibillarum. Innumera miracula intercedentibus viris Sanctis, omni tempore a Deo patrata etc.

6. Ago nunc de necessitate fidei. Actus fidei duplex est *Internus*, qui est primus mentis assensus, veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, propter summam Dei veracitatem in dicendo. Externus, qui est exterior fidei professio ore, vel opere, vel quolibet alio signo, facta.

7. Actus fidei internus fuit semper omnibus adultis necessarius necessitate medii ad salutem *Trid. sess. 6. c. 7*. Omni enim tempore fuit necessaria necessitate medii fides explicita Dei existentis, et Dei remuneratoris. Post Evangelj promulgationem necessaria pariter est necessitate medii, fides explicita Incarnationis. SS. Trinitatis Mysterii, proindeque incapaces sunt absolutionis, qui ista ignorant mysteria *Innoc. XI.*

8. Christianus tenetur credere et scire 1. ea omnia, quae necessaria sunt necessitate medii. 2. Ea omnia, quae in Symbolo continentur. 3. Sacramenta, quae tenetur, et vult recipere. Praecepta Dei, Ecclesiae. 5. Orationem Dominicam, quae a Christo fuit praescripta.

9. Quos et quando actus fidei obliget, dico. Per se et absolute obligato: Infideles, et haereticos, cum eis sufficienter est fides proposita. Filios infidelium sufficienter instructos. Eos qui sunt in probabili mortis periculo. Eos, qui in haeresim sunt lapsi. Eos, qui gravem, contra fidem tentationem experiuntur.

10. Obligat per accidens. Dum homo ad justificationem se praeparat. Dum ad aliquod Sacramentum, maxime, Eucharistiae accedit. Dum datur occasio fidem exterius profitendi: Dum praecipua anni festa celebrantur.

11. Peccata Fidei opposita sunt. 1. *Infidelitas*, 2. *Blasphemia*, quae, fidei professioni opponuntur. 3. *Apostasia*. 4. *Haeresis* etc. v. *Epit. Theol.* v. PROFESSIO FIDEI, *alibique*.

FILIUS v. HONOR. v. OBBLIGATIO.

FILIUS ILLEGITIMUS. Si natus est ante Matrimonium; per ipsum legitimatur, quoties est naturalis. Si natus post Matrimonium invalidum. per ipsum legitimatur, quoties, fuit vere contractum, et saltem ex parte unius bona fide consummatum, alias non legitimatur, nisi revalidatione secuta.

FINIS ultimus hominis v. BEATITUDO.

FISCUS. Idem est, ac Ærarium publicum Reipublicae ad commune bonum. Hic succedit in bona Defuncti, exclusis adfixibus, tutoribus, et nutritoribus, si Defunctus, nec liberos, nec parentes, nec Collaterales, usque ad 10. gradum, nec conjugem reliquit. Quod idem procedit, si adsint consanguinei defuncti in gradu successibili, qui tamen nolint, aut nequeant haereditatem adire.

2. Praeferuntur Fisco. 1. Socii Libertatis Imperialis, 2. Ecclesia in bonis Clerici. 3. Vexillatio in bonis militis. 4. Collegia et Corporationes in bonis Collegiati, vel Corporati.

FONTES MORALIS CHRISTIANAE. v. PROLEGOMENON.

FORI Privilegium. *Est exemptio ab omni potestate, et jurisdictione saeculari*, et proinde ordinatus, et sola initia-

tus Tonsura, non potest amplius a Judice Saeculari in Judicium trahi, incarcerari, puniri, sed dumtaxat ab Ecclesiastico, et hoc dicitur etiam Porvilegium Canonis.

FORMA ABSOLUTIONIS v. ABSOLUTIO *n.* 2.

FORMA RESCINDENDI contractus v. RESCISSIO.

FORMULA TESTAMENTI a Parocho conscribenda, aut ejus Vicario ad formam *cap. cum esses, et relatum il primo*, posita urgentia, aut precibus. *In Dei nomine; hodie etc. in loco etc. ante, vel post meridiem, coram me Presbytero, et Curato, vel Vicario Pareciae etc. constitutus fuit N. N. incola hujus etc.*, qui in *lectulo*, in tali *domus suae cubiculo, aegrotans* quidem *corpore, sed mente sanus, judicio, et memoria valens, videns, audiens, cognoscens, et* loquens, *considerans, nihil quidem morte* certius *esse, hujus* autem *hora nihil incertius*, ad *praevertendas lites, quae* post *decessum suum possent suboriri, facit, vimque habere jubet*, praesens *hoc* suum *Testamentum*, ut *sequitur*.

Primum dictus N. N. Testator, se ipsum signo Crucis signans veniam a Deo deprecatus est, et Sanctos, Sanctasque aulae caelestis obtestatus, ut pro se velint intercedere, dixit, se in Pareciae N. coemeterio, velle tumulari etc. Quod spectat ad honores funeris, hujus arbitrium haeredi suo, in ferius appellando, reliquit, quoad vero preces per se offerendas jubet tot etc. Sacrificia celebrari. Donat, et legat summam N. N. solvendam etc. qua in re, hunc facit, instituitque haeredem suum peculiarem, seu legatarium ita tamen, ut velit, eum, nihil praeterea ex bonis suis petere, aut exquirere etc. In omnibus autem, singulisque mobilibus, immobilibusque bonis suis, nominibus, juribus, vocibus, actionibus, praesentibus, atque futuris, idem N. N. Testator facit, instituit, ac ore proprio nominavit, generalem, universalemque haeredem N. N.; ut utatur, fruatur, atque disponat, tum in vita, cum in morte de universis dicti Testatoris bonis, et haereditate, prout ipsi fuerit visum, atque placuerit post obitum ipsius Testatoris, qui dicit, declaravitque superius, solam esse, extremamque suam volun-

tatem, quam vult, et jubet va'ere informam Testamenti, Codicilli, Donationis, et alterius cujuspiam dispositionis mortis causa, non solum isto, sed et omni alio meliori modo, quo secundum Jura valere poterit, delens, revocans, et annullans alia quaecumque Testamenta, Codicilla, et Donationes, mortis causa, quae antea fecisse potuit, atque explicite omnia Legata Pia; Fundationes, et clausulas derogatorias, quae in dictis dispositionibus possent contineri, et quas in praesenti exprimeret, si meminisset; volens, atque intelligens, hoc esse solum, extremum, validumque suum Testamentum, de quo dictus Testator rogavit, tum Testes inferius nominandos ab illo satis cognitos, et quos ipse jussit accersiri, ut hujus acti meminisse velint, tum ipsum; ne Curatum, aut Vicarium, ut illud excipere vellem, propter absentiam loci hujus Notarii N. N. vel in hoc loco nullus adest Notarius, quod egi, recitavi; atque transegi in ejusdem Testatoris domo coram. N. N. et N. N. die anno, quibus supra.

Qui talia conficit Testamenta, debet 1. Testes adhibere qui debeant, si possint, consignare instrumentum, sicque facere debet Testator. 2. Ipsi non possunt institui haeredes, aut Legatarii 3. Debet in Testamento fieri mentio de filiis, et filiabus etiam posthumis, et si Testator aliquem exhaeredet, debet, dicere causam et signanter una ex illis, quae enumerantur supra verbo. *Exhaeredatio n. 2. et 3. pag.* 177. Debet 4. quanto citius in termino a jure praescripto publico consignari Notario. Si vero Testamentum est clausum, ut valeat, debet esse propria manu, vel scriptum vel signatum. Debet esse vel a publico Notario, vel in periculo, a Paroco subscriptum.

Circa Testamentum clausum haec observanda veniunt. 1. Necesse est, ut Testamentum clausum valeat, quod Testator sciat legere, et scribere, quod ipsum scribat, et consignet suo chirographo, omnes ejus paginas, aut si fecerit scribi per manum fidelem, ipse saltem consignet omnes paginas, et sua propria manu conclusionem Testamenti scribat, in qua mentionem faciat, quod ipse fecerit scribi Testamen-

tum, per manum sibi fidelem. 2. Hujusmodi Testamentum sic scriptum et exacte observatum debet superscribi per Notarium Publicum, aut hujus defectu, per Parochum, vel ejus Vicarium, si hoc eveniat in vitae extremo, et in hoc servari debent, quae in publicis Testamentis, adhiberi Testes, sicut in illis. 3. In isto Testamento, sicut et in publico, omnes filii, filiaeque Testatoris nominandi sunt, et iis deficientibus, nominandi sunt ascendentes, et descendentes in linea recta. 3. Ille, cujus manu utitur Testator, non potest esse haeres, vel Legatarius, sicut nec ipsius frater, aut soror, nec Pater, aut mater. Quod si fuerit Religiosus, qui scripsit, tunc nec ea Religio, nec ullus ejusdem Religionis, potest esse haeres, nec Legatarius in eo Testamento.

FORMULA absolutionis in articulo Mortis. v. MANTIS.

FORNICATIO *Est luxuriae peccatum, quo solutus cum soluta non Virgine per carnalem commixtionem peccat extra matrimonium*. Est mortale peccatum, et intrinsece mala, rationique dissona.

2. Hic obiter adjungo. Fornicationem cum sponsa alterius de futuro, addere specialem malitiam, in confessione necessario exprimendam; sicut etiam fornicationem fidelis cum infideli, utpote peccato longe gravi, quam cum Catholica, Confessario explicandum dico.

3. Carnalis fornicatio aequiparatur etiam spirituali quae accidit. Si sponsus, vel sponsa idolatrando, vel haeresim sequendo, in spiritualem haeresim incidit. v. *Canonist.*

4. Gravior est fornicatio promiscua, quam simplex, quia magis impedit generationem.

5. Hujus gravior est concubinatus, quia addit fornicationis consuetudinem, et Concubinae retentionem, ac si esset uxor. Iste non est absolvendus, ut pote in continua occasione peccandi. *Trid. sess.* 24. *c.* 8. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *a.* 2.

FORTITUDO: *Est Cardinalis virtus, qua animum juxta rectae rationis formam ita moderatur, circa ea, que ardua sunt, et terribilia, ut, nec timore frangatur, nec quidpiam temere audeat.*

2. Duo sunt ipsius actus. *Aggressio*, et *Perpessio*. Ali-

quando enim exigit ratio, ut fortiter impugnentur, qui bono obsistunt. Interdum etiam postulat, ut sustineantur incommoda gravia, quibus viros probos vexare solent ingrati.

3. Duas virtutes habet sibi devinctas Fortitudo: *Patientiam*, et *Perseverantiam*, et duo opposita vitia, per excessum, *Temeritatem*, qua contra rectae rationis consilium adeuntur pericula. Et per defectum *Ignaviam*, seu animi mollitiem, qua refugit aliquis iis se exponere periculis, quibus pro tempore, et loco se se debet exponere. Fusius in Opusculo meo Italice exarato *L' Aflitto all' altro se stesso*.

FORUM, FORUS. De Foro tantum Ecclesiastico competenti libet paulisper disserere. Hoc Forum est vel ratione causarum, vel personarum. Si ratione causae Forum Ecclesiast. fundatum est, non habetur ratio personarum.

2. Causae ad Forum Ecclesiasticum spectantes, vel sunt Civiles, vel Ecclesiasticae, vel Mixtae. Civiles, esto regulariter non pertineant ad Forum Ecclesiast., ex accidenti tamen pertinere possunt, vel ratione *peccati* praetextu Juris commissi, vel committendi, adeoque praecavendi, vel ratione denegatae justitiae, ut si Judex Laicus suum negligat officium, de causa cognoscere potest Judex Ecclesiast. In super possunt causae de omnibus, et quibuscumque negotiis, quibus juramentum accessit ad Judicem devolvi Ecclesiast. Causae Ecclesiasticae vel sunt civiles, vel Criminales. Civilium nomine veniunt quaecumque causae de rebus spiritualibus, vel iis annexis, inter quas Juspatronatus eminet. De iis cognoscere debet Judex Ecclesiasticus, tum in petitorio, tum in possessorio, si reus sit Clericus. Criminalium nomine veniunt causae de delictis Ecclesiasticis, ut Haereseos, schismatis, Apostasiae, Simoniae etc.

3. Causae mixti fori sunt, quae tam coram Judice Laico, quam Ecclesiastico possunt agitari, ut sunt causae miserabilium, contractuum, usurariorum, concubinatus etc. Huic Foro subiciuntur Clerici cujuscumque generis, Servi, dotales Ecclesiarum, publici Scholarum Magistri etc.

4. In Causis criminalibus Clerici quoque Foro subiiciun-

tur Ecclesiastico, de quocumque conveniantur crimine. In aliquibus tamen casibus Clericus Privilegium Fori in criminibus amittit, ut si esset Assassinus, vel Fautor, vel submissor, si habitu saeculari inventus fuerit delinquens, si post delictum commissum, Clericatum in fraudem legis suscepit etc.

FRAUS *est animi calliditas, fallacia, machinatio ad alterum circumveniendum, decipiendum, adhibita.* Differt a dolo, quia fraus fit per facta, ut cum mensura minor est justo, moneta falsa etc.

2. Fraus omnis est prohibita de jure naturali, et quidquid ratione fraudis prohibetur, tamquam jus naturale, de similibus ad similia extenditur etc.

FRUCTUS Ecclesiastici universi, qui colliguntur in bonis, tam beneficialibus, quam Patrimonialibus, sunt exempti ab oneribus, et impositionibus Laicis, nec ullo modo admittenda est restrictio ad certam ratam, et portionem.

2. Ecclesiastici non possunt impediri asportare fructus recollectos in bonis propriis, nisi adsit indigentia Civitatis. Et recurrentes ad Judices Laicos, ut impediant Ecclesiasticis collectionem fructuum, censuras incurrunt, et Episcopi monentur, ut energiter tueantur etc.

FRUCTUS rei alienae v. USUSFRUCTUS.

FRUCTUS SPIRITUS SANCTI. Sunt: Charitas: Gaudium: Pax: Patientia: Benignitas: Bonitas: Longanimitas: Mansuetudo: Fides: Castitas: Continentia. Sparsim in opere.

FUNERA HAERETICORUM comitari. Standum Legibus etc.

FURTUM *Est contrectatio dolosa rei alienae facta, invito Domino*. Hujus variae sunt species. 1. *Simplex*, quo quidpiam alicui privato clanculum subripitur. 2. *Peculatus*, quo quis ex publicis pecuniis aliquid usurpat. 3. *Abigeatus*, quo non res inanimes, sed pecora, pisces etc. rapiuntur. 4. *Plagium*, quo homo, sive liber, sive servus, abducitur. 5. *Sacrilegium*, quo vel Sacrum de Sacro, vel non sacrum de Sacro, vel Sacrum de non sacro aufertur. Sacra

res dicitur, quae cultui Divino mancipatur, ut Ecclesia, vel res Ecclesiae.

2. Est peccatum ex genere suo mortale, si deliberate fiat, et res ablata sit notabilis. Sit ergo Praxis Arbitro Casuum.

3. Peccato furti peccant pauperes, qui liquid divitibus surripiunt, quamvis divites ex hoc grave non sentiant incommodum. Sic *Chatec. Rom.* Pauperes, qui furantur vel in gravi, vel in levi necessitate; non tamen, si in extrema necessitate, tantum ad vitam necessaria sumant; sic enim discipulos spicas colligentes, ad nutriendum excusat Christus: Pauperes, qui extra necessitatem extremam ligna caedunt, vel caesa auferunt, vel pecora in alieno fundo, contra Domini voluntatem nutriunt. Peccant peccato furti, qui exiguis fortis ad notabilem deveniunt quantitatem, uti sunt Sartores, Textores, Molitores, mercatores, multa pauca diversis surripientes. Demum, qui aliquid furantur, quantumvis exiguum, ea intentione, ut ad summam aliquam ingentem perveniant, licet talem summam non acquirant.

4. Quoad Furtum domesticum. Peccat mortaliter. 1. Modicum quid auferens, animo plura, si posset, auferendi. 2. Intendens ditescere ex minutis furtis, peccat graviter propter pravam intentionem.

„ *Not. in singulis minutis furtis, non committi novum „ peccatum, sed jam caeptum continuari, si tamen non „ sint interrupta; sic furantes e. g. minuta pondera, te„ nentur ea restituere illis, quibus sunt furati, et in defectu, eroganda pauperibus.*

5. De furtis domesticorum, uxoris, Filiorum, famulorum, quid sit sentiendum? dico, omnes istos certe posse graviter peccare, si rationabiliter, graviterque invito Capite familias, notabile aliquid surripiunt. Esto vero tales in foro conscientiae sint veri fures, non tamen in Foro externo.

6. Furta uxoris. v. UXOR.

7. Furtum *Filiorumfamilias*. Peccant peccato furti filiis, cum auferunt bona parentibus, quia auferunt ea, circa quae non habent dominium. Sicque furti reus est filius, qui

Patri surripit, aurum, frumentum, etc. ut ludat, epuletur etc.

8. Furtum *dominorum erga servos, et viciversa*. Peccant peccato furti Domini, qui servis alimenta non praebent convenientia: qui mercedem justam non solvunt, qui ante elapsum terminum e domo ejciunt etc., quibus casibus ad restitutionem tenentur.

9. Peccant peccato furti servi, surripientes, aut non custodientes bona domini: surripientes panem, vinum, carnes etc. ad lautius vivendum, vel dandum parentibus etc. Peccant peccato furti famuli, ancillae, opifices etc., qui facta cum Domino conventione, sibi suadentes, plusquam pactam mercedem aestimandum laborem suum, aliquid compensationis nomine accipiunt. Peccant pariter famuli ancillae, et opifices, qui operas suas locantes, non laborant juxta promissum, Hisce in casibus, si restituere nequeunt, compensare tenentur, officiis, et obsequiis extraordinariis etc.

FURTUM SACRILEGUM. *Est illud, quo aliquid Sacrum iniuste accipitur, vel retinetur, vel quo aliquid prophanum in loco sacro injuste accipitur*. Est peccatum mortale longe gravius, quan furtum, vel rapina, quatenus violatur justitia, Religio offenditur.

2. Furti sacrilegi rei sunt vasa sacra, Calices, Patenas, sindones surripientes, qui res ad Ecclesiam spectantes, agros, vineas, domos, census etc. sibi appropriant, aut quocumque modo laedentes, aut minuentes: qui paupertatem professi, aliquid ex bonis toti societati communibus surripiunt, denique qui aliquid non sacrum in loco sacro furantur etc.

G

GABELLA, VECTIGALIA, TALIA, PASSAGIUM, TRIBUTUM etc. tres expetunt ad eorum justitiam conditiones. 1. Ut legitima anctoritate imposita sint. 2. Ut causa sit justa, videlicet, decens Principis sustentatio, communis, et magna Reipublicae utilitas, ut conservatio murorum, Pontium etc. 3. Ut exactio, non sit nimia, sed moderata, et juxta mensuram causae, vel necessitatis.

2. Imponentes gabellas novas, et hujusmodi, sine dictis conditionibus, praeter restituendi obligationem, incurrunt excommunicationem *Bullae Coenae*, et intelligitur de illis, qui non habent altum Dominium.

3. Fraudantes gabellas, Tributa etc. peccant pro materiae quantitate, graviter, vel leviter, et ad restitutionem tenentur, et in dubio de justitia tributorum, solvendum omnino esse, ait D. Thom. aliique permulti.

GAUDIUM. Non tam virtus est, quam effectus virtutis, seu ipsius charitatis, nec aliud est, quam *Quies animi in bono praesente, et possesso*. Nam Deum amando, de ejus bonis gaudemus, ut de sui nominis exultatione, gloria, triumpho etc.

Sic proximum, si veraciter diligamus, gaudemus de ejus bonis, tam temporalibus, quam spiritualibus. Gaudium est actus charitatis.

GEOMANTIA v. DIVINATIO.

GESTUS. v. ACTVS IMPERFECTUS LUXURIAE.

GRADUS. *Est talis distantia personarum sanguine junctarum, qua cognoscitur quanta sit proximitas, vel distantia personarum, quae in linea includuntur*. v. COGNATIO. Regulas breves adnecto ad gradus consanguinitatis facile dignoscendos.

2. Regula 1. Ut cognoscatur gradus consanguinitatis, quaerendum est, ab uno eorum, qui se conjungere cupiunt. 1. Quis Pater tuus. En primus gradus.

2. Quis avus tuus? En secundus.

3. Quis Proavus tuus? En tertius.

4. Quis abavus tuus? En quartus gradus.

3. Idem ab altero quaerendum, et tantum distabunt inter se quantum a communi stipite remotior distabit.

4. Regula II. Tot sunt gradus in linea ascendente, vel descendente, quot sunt personae numeratae, una dempta. Una persona debet demi, qui communis stipitis est terminus, a quo incipimus numerare. Sic Pater, et Filius sunt in primo gradu. Pater, et Nepos in secundo, et sic ascendendo, vel descendendo, vel ad latera excurrendo, numerare poteris gradus omnes.

5. Regula III. Personae aequaliter distantes a communi stipite, tot distant gradibus inter se, quot distant a communi stipite, quia gradus sunt mensura. Sic duo Fratres sunt in primo gradu quia uno gradu distant a Patre. Duo Consobrini in secundo gradu, quia duobus gradibus distant a communi stipite.

6. Regula IV. Personae aequaliter distantes, tot gradibus distant inter se, quot gradibus persona remotior distat a commune stipite, quia cum impedimentum Matrimonii, sit res odiosa, et odia sint restringenda, a remotiori persona numeramus, potius quam a proximiori, unde Patruus, et Neptis sunt consanguinei in secundo gradu. VID. IMPEDIMENTA MATRIMONII, COGNATIO *etc.*

GRASSATOR, ille dicitur, qui in itineribus frequentatis, et viis publicis, praedae causa, homines violenter, absque tamen occisione, aggreditur.

2. Differt a publico latrone, qui violenter cum armis homines aggreditur, et spoliat cum occisione.

3. Tam viarum grassator, quam publicus latro, non gaudet immunitate Ecclesiastica, dummodo constet notorietate Juris, vel facti etc.

GRATIA. *Est domum supernaturale infusum immediate a Deo in animam nostram.*

2. Duplex est. *Habitualis*, et est habitus gratiae sanctificantis, per quam homo formaliter Sanctus, justus, Deoque gratus redditur, etiam dum libere nihil operatur. Dicitur etiam gratia sanctificans, seu justificans, quia est unica for-

malis causa justificationis impii. *Trid. sess. 6. c. 7. Actualis*, est aliquod actuale Dei auxilium, quo ipse hominem, ad bene volendum, et agendum, suamque salutem procurandam, adjuvat; et duo complectitur, ceu intellectus illustrationem, piamque motionem voluntatis, et tales gratiae, quae etiam dicuntur actualia Dei auxilia, sunt innumerae bonae inspirationes, piae voluntatis affectiones a Deo misericordiarum Patre immissae. Sed melius *in Epit. Theologico etc.*

GRATIA SACRAMENTALIS. Praeter dicta, ubi de effectu Sacramentorum, obiter hic addo. Sacramenta duplicem conferunt gratiam. *Communem* omnibus Sacramentis, et *Specialem* unicuique Sacramento *Sacramentalem* dictam.

2. *Communis* est gratia sanctificans, vel *prima*, quam conferunt Sacramenta mortuorum, utpote instituta ad mortuos suscitandos, vel *secunda*, quam conferunt Sacramenta vivorum, utpote instituta ad augmentum gratiae.

3. Gratia Sacramentalis definiri potest. *Gratia habitualis annexum habens jus ad assequendum finem cujusque Sacramenti*. Ergo haec gratia, non statim, et simul a suscepto Sacramento confertur, sed successive, et opportuno tempore, cum nempe occurrunt occasiones finem suscepti Sacramenti spectantes. Ergo, amissa gratia sanctificante, amittitur et gratia Sacramentalis, quia amisso juris fundamento, jus ipsum amittitur, recuperatur autem cum gratia santificante per poenitentiam.

4. Sacramenta producunt gratiam *ex opere operato* illis, qui obicem non ponunt, non autem *ex opere operantis*, qui illam prodeunt vi operis ex instituto Divino exerciti, non autem ex merito conficientis, aut suscipientis. *Trid. sess. 7. c. 8.*

5 Sacramenta conferunt gratiam moraliter tantum, hoc sensu, quod Deum efficaciter, et immediate moveant ad gratiam physice producendam, ex pacto scilicet, quo se libere obstrinxit, ut ad praesentiam illorum signorum gratiam certo illis conferret, qui nullum apponunt obicem v. SACRAMENTA sparsim suis locis. v. MANTISS. II.

GRADITUDO. *Est actus ex charitate derivans, quo nostram ostendimus benefactori obligationem. S. Thom.* Haec virtus circa Deum versatur, a quo innumeris cumulamur beneficiis, et cui, *ait Apost.*, tota vita nostra dicari debet in gratiis agendis etc. Respicit et homines, qui charitate ducti larga, et opportuna nobis praestant auxilia, et pro quibus Deum rogare tenemur, ut promissa sua attendat, illis centuplum retribuat etc.

GRAECI Prohibentur celebrare Missas more Latino, sicut et Latini Graeco. *S. Pius V. const.* 12. *incip. Providentia Rom. Pontificis*, ubi revocat privilegia in contrarium concessa, ideo S. Congr. in una Hydruntina 1630 censuit facultatem consecrandi vice Panis, Hostiam, cui aliquod fermentum sit admixtum, nequaquam Graecis esse concedendam. Diana tamen cen et *tract.* 3. non prohibèri, quia latinus in Ecclesia Graeca, et inter Graecos, ubi non sunt Ecclesiae Latinae, graeco, ritu celebret, et e converso, Vide Nicolium in suis Notabilibus etc

GULA *Est incrdinatus appetitus cibi, et potus.* Per gulam multis offenditur modis, hoc contentis versiculo: *Praepropere*: *Laute*: *Nim is*: *Ardenter*: *Studiose*. Gula virtuti Temperantiae opponitur, et sobrietatis, et dividitur in commessationem, et ebrietatem. Hoc vitium, quidquid nonnulli asserant Theologi, adnumero cum *S*: *Thom.* inter peccata Capitalia ex se mortale, quando ho mo finem suum constituit in delectatione gulae; paratur scilicet contra praecepta Dei agere ut delectationes hujusmodi assegnatur, alias, est solum veniale, positis circumst antiis.

2. Duas agnosco species gulae *Crapulam*, quae est excessus quo, quis omnino sanus, ita cibi se se ingurgitat, ut ad vomitum moveatur, et est ex genere suo mortale, utpote rationali naturae, gravissime repugnans: *Ebrietatem*, quae est voluntarius excessus in potu usque ad violentam privationem usus rationis; est ex genere suo mortale. Ergo cum ebrietas sit intrinsece mala, nullo usquam casu potest esse licita.

3. Habet gula,, et filias pestiferas. *Hebetudo* mentis, seu

stupiditas, qua quis orare, aut alia praestare nequit. Immoderata laetitia, quae movet ad cantiones obscenas, actus turpes etc. *Moltiloquium*, illo utendo in gravem Dei irreverentiam, aut proximi damnum. *Scurrilitas* proveniens ex defectu rationis, fitque per verba, et exteriores actus, et idem est, ac *Stultiloquium* etc.

HABITUS CLERICALIS. Clericus, prima initiatus Tonsura, ut pote in Dei sortem assumptus, gaudet privilegio Fori, et Canonis: ideo discerni debet, non solum per honestatem morum, sed etiam per indumentorum formam, ideoque tenetur gestare habitum et Tonsuram Clericalem juxta Ecclesiae praescriptum *in cap.Clerici officia*. Esto vero hoc praeceptum non obliget sub peccato, adhuc tamen ad dignoscendum, quando nam Clericus habitum dimittens, peccet, vel non, haec sit Regula: Si Clericus non est in Sacris nec Beneficiatus dimittens habitum, nunquam peccat', privilegium vero amittit semper. Si est in Sacris, vel Beneficiatus, dimittens habitum, peccat, quoties dimissio est per tempus notabile, ac sine justa causa, privilegium amittit, quoties ter monitus in dimissione persistit v, *Bened. XIV. de Syn. l.* 2. c. 8. v. CLERICUS.

HABITUDO PECCANDI. *Est propensio ad peccata ejusdem speciei ex frequentatis actibus contracta*. Ideo Casuum Arbiter hac tutissima utatur regula. Si peccati habitus non procuratur evelli, imputatur ad peccatum: Si procuratur evelli, actus imputatur ad peccatum, quoties est deliberatus.

HEBETUDO v. GULA.

HAEREDITAS. Nihil aliud est, quam *successio in universum jus Defuncti*. Haereditas tota communiter vocatur *As*, et nisi aliter exprimat Testator, dividitur in 12. partes, quae singulae pro numeri diversitate diversa sortiuntur nomina, omnes autem simul sumptae *Assem* constituunt, unde haeres totius haereditatis dicitur haeres ex *Asse*:

2. In potestate Testatoris est haereditatem dividere pro ut vult. Dividitur autem plerumque in duodecim uncias, propria habentes nomina, et sunt. *Sextans*, idest sexta pars. Assis, quae facit duas uncias. *Quadrans*, sive quarta pars Assis tres continens uncias. *Triens*, sive tertia pars Assis, quatuor continens uncias. *Quincunx*, sivequinque Unciae: *Semis*, sive dimidium Assis, sex uncias continens *Septunx*, sive septem unciae. *Dodrans*, sive novem unciae *Dextans*,

sive decem unciae. *Deunx*, sive undecim unciae, et tandem *As*, sive omnes partes simul sumptae.

3. Haereditatis nomine veniunt omnes, et singulae res jura, commoda, actiones utiles, ad aliquid, vel prosequendum, vel aquirendum bona ubique existentia. Ius Patronatus etc. non tamen legata, et Praelegata.

4. Haereditatem adire, nihil est aliud, quam se haeredem declarare, seu haereditatem amplecti, cognoscere, et admittere, et hoc vel verbis, vel factis, aut aliis signis. Haereditatem adire potest quisque, qui potest se obligare, dummodo vel ex Testamento, vel ab intestato constet, quod volens, sit certo haeres,

5. Aditio haereditatis transfert in haeredem omnes Defuncti obligationes, ad quas tenetur, etiamsi vires haereditatis excedant, casu, quo non fecerit Inventarium, vel sine beneficio legis haereditatem adierit.

HAERES. *Est, qui in universum jus defuncti succedit*. Et alius est *ab intestato*, seu, qui ex dispositione Legis succedit in universum jus illius, qui intestatus decedit. Ordinarie haeredes hujusmodi sunt proximi consanguinei. Haeres *ex Testamento* est ille, qui ad succedendum Defuncto est institutus, et tenetur adimplere omnes Defuncti voluntates. etc.

HAERESIS. *Est species infidelitatis pertinens ad eos, qui fidem professi sunt, sed ejus Dogmata corrumpunt*. Tria requiruntur ad haeresim: Unum ex parte intellectus, idest *judicium erroneum* contra fidem. Alterum ex parte voluntatis, videlicet *Pertinacia*. Tertium vero ex parte subjecti, idest *Professio Christianesimi*, seu fidei in Christum; in fidelis enim dici nequit haereticus,

2. Dubius in fide, ut sit haereticus, debet habere deliberationem circa ea, de quibus dubitat, nam si negligens fuerit, pro modo negligentiae majus, aut minus peccatum committit.

3. Haeresis formalis, de qua loquor, alia est *Interna*, seu mentalis, quae in corde retinetur, seu in mente, et nec ver-

bis, vel facto manifestatur; alia *externa*, quae interne vigens verbis, vel facto aliquo externo, sufficienter externe manifestatur. Haec haeresis *externa* dividitur in *occultam*, et *manifestam*. Occulta externa illa est, quae verbis, vel facto vel signo aliquo externo proditur, vel nemine, vel aliquo solum praesente, et haec sufficit ad incurrendas paenas. Externa postea publica, illa est, quae palam, et coram pluribus manifestatur. v. EPIT. THEOLOG:

4. Haeresis differt a Schismate, quatenus haec directe opponitur fidei; Schisma unitati Ecclesiae *S. Thom.* 2. 2. *q.*39.*a* 1 Hinc Schisma potest esse sine haeresi, sed non e contra, licet hodie difficile datur schisma sine haeresi.

5. Haeresis causa spectat solumodo ad Judicem Ecclesiasticum, in specie autem sunt. Summus Pontifex, S. Congregatio Card. Gener. Inquisit. erecta a Paulo III. Episcopi respectu existentium in sua Diaecesi. Capitulum, Sede vacante Inquisitores in S. Officio, specialiter deputati.

6. Haeresis pure mentalis non habens excommunicationem, adnexam, absolvi potest a quocumque etiam simpliei Confessario. Episcopi vero, et Inquisitores absolvere possunt haereticos sponte comparentes, et abjurantes, et in utroque foro, ab haeresi ad forum contentiosum deducta, Absolutio autem in foro interno, non suffragatur in foro externo. Poenitens enim sic absolutus, potest adhuc foro externo inquiri, et puniri.

7. Abjuratio praecedens haeresis, requiritur tamquam conditio necessaria, in literis Apostolicis Dispensationum, quae super gradibus consaguinitatis, vel affinitatis, aliisue impedimentis, petuntur pro personis diversae professionis, nec valet haeresis abjurandae promissio.

8. A censuris propter haeresim formalem externam incursis, nullus Confessarius, nec etiam tempore Jubilaei absolvere potest, absque expressa facultate, etiam si occulta sit haeresis, et Confessarius facultatem habeat absolvendi a Censuris in Bulla Coenae reservatis. Bened. XIV. de Syn. Diec.

9. Peonae contra haereticos sunt. Excommunicatio major

ipso jure lata. Irregularitas. Infamia Juris; si haeresis sit notoria, Privatio beneficiorum, et dignitatum, Bonorum confiscatio, Privatio Sepulturae Ecclesiasticae. Ad has incurrendas paenas, sufficit, nt haeresis sit occulta, modo externata, sive verbo, sive facto, sive signo, quamvis nemine praesente declarata, Quae omnia pro praxi bene perpendat Confessarius.

HAERETICUS. *Est ille, qui negat aliquem ex articulis ab Ecclesia definitis, cum errore intellectus, et pertinacia voluntatis S. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. et hic est hereticus formalis.

2. Haereticus, alius est *lapsus*; alius *relapsus*. Primus ille est, qui a professione fidei in haereticam pravitatem incidit, et perseverat. *Relapsus* vero, qui, postquam errorem abjuravit, iterum in haeresim relabitur.

3. Cathecumenus, nondum baptizatus deficiens a fide, non est haereticus, sed infidelis. Ficte, et invalidee baptizatus fidem descrens, ut haereticus est censendus, usqnedum constet de fictione, aut invaliditate baptismi. Qui metu mortis negat fidem, absque tamen ullo interiore mentis affectu, peccat contra praeceptnm profitendi fidem, sed non est haereticus, cum haeresis essentialiter consistat in interno judicio erroneo intellectus contra fidem.

4. Haereticus sub paena excommunicationis, est Sanctae Inquisitioni denunciandus, etiam solum suspectus. Haereticus formalis incurrit ipso facto excommmunicationem Papae reservatam: et non haereticus solum, sed ei credentes, receptores, defensores, fautores. Haereticus notorius, et publicus est ipso facto irregularis, etiam post absolutionem, et probabilius etiam haereticus occultus: Insuper est infamis; patriam potestatem in filios ammittit. Sic mulier haeretica ammittit dotem, omniaque alia privilegia; damnatur ad carcerem perpetuam, et impaenitens ultimo plectendus suplicio, et comburi etc.

HJERARCHIA ECCLESIASTICA. *Est potestas personarum Sacrarum ordinata debitum in subditos retinens Prin-*

cipatum, Constat. 1. Ex Rom. Pontifice, 2. Ex Episcopis. 3. Ex Parochis. Alii Ecclesiastici, Cardinales, Canonici, Regulares secundum quid, non simpliciter, ad hanc referuntur Hjerarchiam. Hinc.

2. De Fide est dari Primatum in Ecclesia Catholica, et S. Petrus fuit caput *post Christum* omnium Apostolorum, et ideo totius Ecclesiae. Episcopi de Jure Div: secundum locum tenent. Parochi de eodem jure tertium locum: sequitur ergo Petrum Ecclesiam universam proprio nomine regere. Episcopo suas Diaeceses. Parochos Paraecias suas, quia sicut Petrus a Christo, Episcopi ab eodem, ita, et Parochi; unde Pontifex a Christo immediatam habet jurisdictionem, Episcopi eamdem a Christo immediatam, salva Pontificis jurisdictione. Parochi a Christo et ipsi, salvo Episcoporum jure. Et in hoc explicatur Ecclesiae Hjerarchia. Summique Pontificis apprime salvatur Primatus.

HIPOCRISIS. *Est simulatio veritatis*; et est semper veniale cum sit mendacium facti, et mortale si habeat conunctum vel proximi damnum, vel contemptum. S. Thom. Est una ex Superbiae filiabus.

HYSTRIONES et Scenici, caeteraeque hujus furfuris personae, quamdiu tam detestandas exercuerint artes, sacra sunt communione privandi. Non enim Evangelicae congruit disciplinae, ut pudor, et honor Ecclesiae, tam turpi, et infami contagione faedetur. Cautus tamen Confessarius incedat, ut si quis fuerit infirmatus etc. Eucharistiam habeat in promptu ut nemo sine Communione decedat v. CANONIST. ET CHOREAE etc.

HOMICIDIUM. *Est voluntaria, et injusta hominis occisio* Homicidium duplex est. *Spirituale*, et committitur odiendo proximum, detrahendo, male consulendo, recusando, quod est necessarium. *Corporale*; et fit; Ex justitia, ex necessitate, casu, voluntate, et malitia. Homicidium justitiae fit a Ministris ejusdem in executione sententiae. Homicidium necessitatis, tria exigit, dummodo tamen fiat puro, et solo animo se defendendi, non occidiendi, *ceu Tympus*,

ut eodem tempore fiat, non post facto, alias vindicta esset, non defensio. *Causam*, ut sit justa, alias non erit defensioni locus. *Modus*, ut se defendat iisdem armis, quibus quis oppressus est.

2. Homicidium *casu*, quod praeter intentionem accidit, vel committitur dando operam rei illicitae, vel licitae. Si primum, peccatum est, si secundum, vel modus exceditur, vel non; si prius, peccato vestitur homicidium; si posterius, ad culpam non imputatur.

3. Homicidium voluntarium omnino gravissimum est, propter circumstantias, ut si occisus sit Pater, vir utilis, consanguineus, Clericus etc.

4. Dubius de homicidio fit irregularis, estque unicus casus in jure expressus.

5. Utrum occidere liceat ad bona sua defendenda? Sanior doctrina est: vel illa bona adeo sunt necessaria, ut sine illis agi vita nequeat, vel non. In primo casu, pluralitas Theologorum affirmative respondet. Docent omnes in secundo casu non licere. Ideo.

6. Peccant peccato homicidii, qui pro defendendo honore, hominem occidunt; ideoque non licet occidere eum, qui te verbis contumeliosis afficeret, qui tibi contumeliose diceret *Mentiris etc.* Sed nec eum, qui vel verum crimen tuum occultum panderet, vel falsum tibi imponeret. Non licet absolute neque in se, neque in alio, abortum procurare, sive ante foetus animationem, sive post, ad vitandam infamiam. Nec videtur licitum occidere violentum stupratorem, quia Pudicitia, ut pote virtus mentis potest etiam, corpore violato integra permanere. v. hic not. 2.

7. Obiter hic adverto. Ex Jure Canon. homicidam voluntarium non potesse promoveri, et promotus, est deponendus, secus autem de homicidio necessario. v. CANONIST.

8. Homo privatus, cui injuste infertur violentia ad mortem usque, nisi alia ei sit via propriam vitam conservandi; potest in actuali conflictu, seclusa vindicta, cum moderamine inculpatae tutelae iniquum agressorem occidere, non mortem

agressoris intendendo, sed sui defensionem. Com. cum. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 63. *a.* 7.

„ *Not.* Qui alium occidit etiam defendendo se, cum mo-„ deratione inculpatae tutelae; Si Laicus poenitentiae subji-„ ci debet. Si Clericus, ab altaris ministerio arcendus, do-„ nec a Summo Pontifice dispensetur, cum enim incertum „ sit, utrum legitimum excesserit modum, ideo Laico vel ad „ exemplum, vel ad cautelam, poenitentia imponenda est, „ et Clericus ab Altari arcendus, quia homicidium illud di-„ spensatione indiget. *Trid. sess.* 14. *de Res. c.* 7.

„ *Not.* 2. Juxta leges humanas, cum non alia suppetat „ via, occidere licet violentum Pudicitiae stupratorem, cum „ pudicitia praestantior sit, vita corporali. Sed ego cum S. „ Augustino puto, id licitum non esse coram Deo. *Pudicitia* „ *enim* ait l. 1. de Lib. Arb. c. 1. *cum* in animo sit, a violen-„ to stupratore, nec erigi potest . . . *Legem non reprehen-„ do, quae tales permittit interfici, sed quo pacto ipso de-„ fendam, qui interficiunt, non invenio.*

9. Omnes veneratus Auctores. Raros admodum puto esse casus in praxi, immo fere nullos, in quibus liceat hominem occidere, pro bonis, ingentis etiam valoris, conservandis. Non video enim, quo pacto haec cohaereant cum Lege Naturali, et Civili, cum Lege Mosaica, et Evangelica, quae jubet, ut caduca istius Mundi bona, non modo non tueamur, cum periculo vitae proximi, sed ea ultro deseramus, si aliter, quam cum contentione, et animi amaritudine defendi nequeant, *Matth.* 5. *v.* 4. *etc.*

HONESTAS PUBLICA. *v.* IMPEDIMENTA *n.* 10.

HONOR PARENTIBUS DEBITUS. Tria complectitur. *Reverentiam*, *amorem*, *obedientiam*, quibus additur *assistentia* parentibus egentibus. Omnes isti actus, promanant ex propria virtute, quae *Pietas* dicitur, estque virtus sub justitia contenta, tamquam pars potentialis ipsius. Hic Pietas sumitur pro illa virtute, qua parentes colimus, tamquam vitae, et educationis nostrae post Deum. Auctores, sub mortali

haec omnia servare tenentur filii, etiam erga illos, qui loco parentum sunt. *S. Thom. quod lib.* 2. *q.* 5. *a.* 10. *et alibi*.

HORAE CANONICAE. *Sunt preces vocales ab Ecclesia institutae, cujus nomine recitandae a personis, quibus illud Officium est specialiter commissum*. Dicuntur *Horae Canon.* et *Breviarium*, eo quod certis horis diurnis, et nocturnis, pro locorum consuetudine, sunt recitanda. *Canonicae*, quia a Canonibus, sive legibus Ecclesiasticis praescriptae sunt. *Breviarium* autem, quia Scripturam Sacram, et Patrum sententias, breviter, et summatim exhibet.

2. Horae Canonicae septem numerantur. Matutinum cum Laudibus. Prima. Tertia. Sexta. Nona. Vespere. Completorium.

3. Ad horas Canonicas tenentur. 1. Omnes Clerici Sacris initiati Ordinibus. 2. Omnes Religiosi utriusque sexus professi, ad chorum destinati. 3. Omnes Clerici indistinctim beneficium Ecclesiasticum possidentes, sive tenue sit, sive pingue, sive possideatur in titulum, sive in Commendam. Omnes isti tenentur sub mortali ad persolvendas horas, et sub restitutionis obligatione, etiam ante Judicis sententiam. Coadjutor autem, et Pensionarius tenetur per *Bullam S. Pii V.* ad Officium Parvum Beatae V. Mariae, sub eadem poena, sub qua Beneficiarj etc.

4. Causae ab hac recitatione excusantes sunt. *Impotentia* Physica, vel Moralis. 2. Charitas sive honesta quaedam occupatio, quam sine grandi, vel proprio, vel proximi periculo omitti nequit, vel diferri.

5. Beneficiarius Horas Canonicas, citra legitimam causam, omittens, omnes beneficii fructus, qui illis diebus respondent, amittit.

6. Duplex requiritur devotio. *Externa*, sita in habitu, et compositione corporis. Distincta, et clara recitatio. *Interna* in intimo pietatis sensu, et affectu, quo animus in Deo erigatur, mentis attentione etc.

7. Obligatio recitandi Horas Canonicas Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis incepit an. 586.

8. Circa horam recitandi divisim horas Canonicas, standum tabellis in Ordinario positis.

HUMILITAS. *Est virtus temperans appetitum tendendi ad excelsa*, sive est virtus, qua homo verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit. Huic Superbia contra est.

HYPOTECHA, et PIGNUS. *Prima est contractus, quo res immobilis obligatur creditori in solutionem debiti, non facta traditione rei obbligatae*; PIGNUS vero *est contractus, quo res mobilis obligatur Creditori in solutionem debiti, facta traditione rei oppignoratae*.

2. Traditio, et acceptio pignoris, et hypothecae easdem fere requirit conditiones, quas exigunt Venditio, et emptio, his exceptis, quae venditionem, et emptionem, ab actione pignorativa distinguunt. Ideo.

3. Illi soli tradere possunt rem in hypotecham, et pignus, qui possunt vendere, et illi soli possunt accipere rem in pignus, vel hypotecham, qui possunt mutuo dare.

4. Illae res solum possunt dari in hypotecham, et pignus, quae sunt in commercio hominum, et in nostra potestate, et quae habent aequalitatem, et quasi aequalitatem cum debito.

5. Modus dandi, et accipiendi pignus talis debet esse, ut nec Creditor rem sibi debitum perdat, nec debitor bis eamdem restituat summam; hic est enim hypotecae, et pignoris finis, ut Creditor dormiat securus, et debitor servetur illaesus. Hinc.

6. Peccat debitor, et ad damni restitutionem tenetur, si rem jam obligatam alicui Creditori, novo Creditori obliget, si rem viliorem loco praetiosioris oppignoret. Si rem pignore datam distrahat, dilapidet, vendat etc.

7. Peccat et Creditor, et ad restitutionem tenetur. Si rem pignore datam, non custodiat, ut vir probus, si rem pignori datam tamquam suam non habeat, cum sit tantum custos, si re, pignori data, utatur usu, quo deterior fiat, quia tunc tenetur damnum compensare.

8. Toties illicita est hypotheca, et oppignoratio, quoties Creditor praeter summae securitatem, aliquid aliud exigit a

debitore. Hinc peccat Creditor, et ad restitutionem tenetur, si absque conventione utatur pignore, vel hypotecha, lucrumque aliquod percipiat, si lucrum illud non computet in diminutione debiti. quia tunc contra legem fructus ex pignore percipit, ut ex Jure Canonico. Illicita est conventio, in qua per pactum Legis Comissoriae, convenit inter debitorem, et creditorem, quod res tradita in pignus, vel hypothecam ad Creditorem pertineat, si intra certum tempus, non persolvatur argentum mutuo traditum; hoc enim est contra naturam oppignorationis, cujus est solum securum reddere debitum, sic *Jus Canon*. Illicitum est pactum, in quo convenit, quod debitor possit rem oppignoratam vendere ad debitum luendum; haec enim non esset traditio pignoris, sed alienatio.

9. Aliquando tamen licitum, aliquando illicitum est pactum *Antichriseos*, in quo convenit, ut fructus pignoris cedant pro usuris pecuniae muto datae. Illicitum, si Creditor nullum habeat titulum sumendi interesse, tunc enim esset usura palliata. Illicitum pariter, si Creditor habeat titulum sumendi interesse, et fructus excedant usuras legitimas, ut statuit *Jus Civile*.

10. Licitum vero erit pactum *Antichriseos*, si Creditor titulum habet sumendi interesse, et fructus ex pignore percipiendi, deductis impensis, si non excedant interesse, tunc enim fructus inserviunt ad compensandum, vel lucrum cessans, vel damnum emergens. Haec doctrina est *S. Thomae*.

JACTANTIA. Illa *est qua quis verbis inordinatis, vel se ipsum, vel alios humiliando, extollit, vel gloriatur, e. g. de facto illicito, turpi, peccato etc. Ex D. Thom.* Est fere, sed dico etiam semper grave peccatum.

JANSENIUS v. PROPOSITIONES.

IDOLOLATRIA. *Est latriae cultus exhibitus vanis, et falsis Numinibus.* Cultus tria habet externa signa Sacrificium, Templum. Altare, quae sine gravissimo crimine nulli creaturae offerri possunt.

2. Idololatria triplex est, *Perfecta*, qua quis cultum Dei Idolo tribuit, putans illum esse Deum. *Minus perfecta*, qua quis cultum Dei creaturae defert, sciens illam non esse Deum, sed facit vel ex odio Dei, vel ex affectione ad Creaturam, et hoc maximum aliorum peccatum est: *Simulata*, qua quis sine aestimatione Dei, et interno affectu colendi, sed ex solo metu mortis exterius, creaturae cuilibet exhibet, et haec semper est peccatum mortale, v. SUPERSTITIO.

JEJUNIUM. *Est voluntaria abstinentia a cibo, et potu, juxta Ecclesiae praescriptum.* et quadruplex est. 1. *Spirituale*, et est abstinentia a vitiis, et illicitis voluptatibus, quod S. Aug. vocat *Jejunium magnum, perfectum jejunium* 2. *Naturale*, et est abstinentia ab omni prorsus cibo, et potu etiam per modum medicinae, quale jejunium a puncto mediae noctis requiritur de praecepto Ecclesiastico ad sumptionem Eucharistiae. 3. *Jejunium morale*, Philosophicum etiam dictum, et est actus Temperantiae moderantis appetitum, et usum cibi, ac potus secundum regulam rectae rationis, cujus velut partes sunt, abstinentia, et sobrietas. *Jejunium Ecclesiasticum*, et est abstinentia a carnibus, et quibusdam aliis cibis, ab Ecclesia imperata, cum unica refectione tempore signato, sumenda. De hoc ego loquor.

2. Ad jejunium Ecclesiasticum tria requiruntur, 1. Abstinentia ciborum certi generis, et circa hoc standum statutis,

et privilegiis locorum et Provinciarum ; 2. Abstine ntia plurium refectionum ; ex perpetua enim, et constanti Ecclesiae consuetudine, ad Jejunium una tantum debet esse refectio continuata, non interrupta, non iterata. 3. Certa refectionis hora, licet alias talis refectio tamquam caena sumenda esset hora vespertina in Quadragesima. Sciendum tamen, quod Mater Ecclesia, ob corporis, et naturae semper declinantis infirmitatem, refectionem illam, tamquam prandium sumi indulsit hora sexta prope meridiem, retento nomine Caenae, ob memoriam antiquitatis, unde ordinavit, *ut in ipsa meridiana refectione preces pro benedictione mensae dicantur in caena*. Statuit, ut in Quadragesima dicantur *Vespere*, et in aliis diebus Jejunj, *Nona*, semper ante refectionem meridianam. Haec autem consuetudo sumendi refectionem in meridie diebus omnibus jejunii, caepit fere temporibus S. Thomae Aquinatis circa annum Christi 1270., ut ipse dicit. 2. 2. *q.* 147. *a.* 7.

3. Jejunium Ecclesiasticum quoad substantiam consistit in unica refectione, et abstinentia a carnibus. Praeceptum Jejunii, obligat sub mortali diebus ab Ecclesia praescriptis, et quamvis ab Ecclesia sit determinatum quoad tempus, tamen non est solum de praecepto positivo Ecclesiae, sed de simplici praeordinatione Divina fidelibus demandatum.

4. Die Dominico, quamvis ex se licitum esset jejunare ut clare patet ex *c. Utinam dist.* 76., tamen propter haeresim Manichaeorum, qui in contemptum Resurrectionis Domini dicebant, jejunium die Dominico necessarium esse ; et propter alias haereses, superstitiones, et errores, statutum est ab Ecclesia non esse jejunandum diebus Dominicis.

5. Potuit Ecclesia instituere Jejunium, ut patet ex *can.* 68. *Apost.*. Praecipua. Ecclesiae jejunia sunt : *Quadragesimale* ; *Quatuor Temporum*, quae quorumdam quoque insignium festorum vigiliis solent observari.

6. Quadragesimalis Jejunj institutio originem ducit ab Apost. cujus institutionis variae fuerunt causae. 1. Ut fideles ad rite, et, devote celebranda Passionis, et Resurrectionis Domini-

cae mysteria praeparentur. 2. Ut Christiani pro delictis, per annum comissis, poenitentiam agant, et Deum ad misericordiam flectant. 3. Ut Christi Domini jejunium imitentur. Jejunium Quadragesimale ordinavit Thelesphorus PP. anno Domini 139.

7. Quatuor temporum jejunia, sic vocata, quia in singulis anni temporibus, quae numero sunt quatuor observantur. Antiqua consuetudo haec est, de qua S. Leo meminit causas recensens. 1. Ne Christiani Judaeis in ea re palmam cederent, ut ex *Zaccar*. 8. patet. 2. Ut postuletur a Deo fructuum Terrae conservatio, aut pro iis jam collectis, grates redderentur. 3. Ad Deum orandum, ut Ecclesiae suae sanctos sufficiat Ministros, praefatis enim temporibus Sacri Ordines conferuntur. 4: Ut nulla sit anni tempestas, quae per speciale jejunium, Deo non consecretur.

8. Quinam jejunii lege obstringantur, Dico. Omnes baptizati tenentur lege jejunii, quibus aetas est an. 21.. Sic *comm. cum SS. Thom. Bonav. Antonin. et aliis*. Senes, si sint multum debiles, eo modo excusari possunt, sicut de infirmis dicitur, ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sint fortes ad sustinendum jejunium. Patres familias tenentur domesticos suos sive filios, sive famulos, , sive ancillas, ad jejunium compellere, eos admonendo ad praeceptum implendum, propter eam, qua in eos pollent, auctoritatem.

9. Coenula serotina, quae et jentaculum, collatio, dicitur, quod nomen apud Monachos significabat quamdam piam lectionem et collocutionem, quae post coenam fieri consueverat, et circa ea versabatur, quae ad spiritualem animae profectum pertinebant; qua peracta, modo vinum bibebant, modo aquam, ad coenae, quam paulo ante susceperant, concoctionem juvandam, sitimque extinquendam, a quibus Collationibus Monasticis nomen duxit coenula vespertina, cujus nunc jejunii tempore, usus parmittitur.

10. Relictis innumeris Casuistarum quaestiunculis, duce S. Thom, aliisque, statuo. Circa quantitatem hujus seroti-

nae caenulae, certa regula poni nequit. Ubique enim, et omnibus, eadem statui nequit quantitas cibi, sed varia pro diversis conditionibus, laboribus, personis etc. Generatim tamen dici potest, eam quemque cibi quantitatem sumere debere, quae sufficiat ad corporis, et animae exercendas functiones, licet cum aliqua molestia, quae a Jejunio disjungi nequit.

11. Circa ciborum in caenula permissionem, licitum est modico pane uti, cum fructibus, aliisque levioribus cibis, ut sunt ficus, uvae etc. Istis quidam adiiciunt, numero tamen parcissimo, pisciculos, ova etc. verum sententiam hanc, ipsi indulgentiores Theologi reprobant. Sed et, an qui justa causa dispensatus est in abstinentia carnis, hoc ipso possit, et in caenula ea carnis quantitate vesci, quae jejunantibus praescribitur? Negative resp. et quidem non in Quadragesima solum sed caeteris anni diebus, quibus jejunium intimatur. Satis clare expressit *Bened. XIV. an.* 1742. *et* 44.; ubi sancivit, etiam non posse utrumque misceri epularum genus, pisces nempe, et carnes, idque procedere etiam diebus Dominicis Quadragesimae. Piscibus tamen edendis non prohibentur illi, quibus licentia conceditur, vescendi ovis, et lacticinis. Et ad allatas conditiones sub mortali teneri declaravit.

12. Utrum licitum sit collatiunculam mane sumere, refectione ad vesperam dilata? *Negat* cit. a justam causam quia ordo invertitur Ecclesiae, et hoc faciens, non vacaret culpa.

13. Causae excusantes a Jejunio sunt tres. *Impotentia*, sive physica, sive moralis, quae scilicet sine gravi detrimento superari non potest. Haec oritur ab aetatis infirmitate, a morbo, et languore, a personarum conditione, ut sunt, pauperes, mulieres praegnantes, lactantes, quae, si robustae essent, et sine suo, vel foetus periculo possent, a lege non essent exemptae, esto mitissime cum istis agere debeat Confessarius. *Labor*, non quicumque, sed ille tantum, qui non potest cum jejunio conciliari. *Pietatis* et *Charitatis* actus, et tres requiruntur conditiones. 1. Ut hujusmodi opera in aliud tempus differri nequeant. 2. Ut pietatis actus,

non sit, et non fiat in fraudem jejunii. 3. Ut manifeste sint majus bonum, quam jejunium.

14. Ut jejunium sit fructuosum accedere debet, ut dixi, abstinentia a vitiis. Parcius utendum ludis, jocis etc. Eleemosyna, et solito profusior etc.

IGNORANTIA. *Nihil aliud est, quam defectus, et privatio cognitionis*. Et sicut ex D. Aug. cognitio, alia est *facti*, alia *peccati*; Ignorantia pariter, alia est *facti*, alia *peccati*.

2. Ignorantia *facti* illa est, qua latet nobis factum ipsum physice, ut dicunt, spectatum e. g. manducat quis, non advertens, se manducare, loquitur non advertens se loqui. Haec est ignorantia facti.

3. Ignorantia *peccati* ea est, qua latet nobis, an id, quod agimus, sit lege prohibitum. v. g. Manducat quis, advertens, se manducare, sed nescit, et non advertit cibum illum esse lege vetitum.

4. Rursus ignorantia multiplex est. Est ignorantia ex parte *mentis*, et haec triplex est. *Negativa*, scilicet nescientia rerum, quas scire aliquis non potest, ut pueri, amentes, etc. ignari dicuntur negative. *Privativa*, et est privatio scientiae eorum, quae aliquis scire potest, et debet, ut decenter operetur. Talis est ignorantia illius, qui nescit ea, quae sunt sui officii, et negligit ea addiscere. *Pravae dispositionis*, et est habitus scientiae contrarius; haec locum habet in haereticis, et iis, qui malis sunt imbuti principiis, et semper est grave peccatum.

5. Est ignorantia *Ex parte objecti*, et duplex est; alia *Juris* et est ea, quae versatur circa legis dispositionem; ut, dum quis ignorat legem prohibuisse factum, quod perpetrat, vel imperasse factum, a quo abstinet. Sic veteres Pagani ignorantes fornicationem esse illicitam, congrediendo cum meretricibus, ignorantiam *Juris* non *Facti* habebant. Alia *facti*, et est ea, quae versatur circa ipsius facti qualitatem, aut circumstantias; ut, dum quis sciens Legem prohibuisse factum aliquod, ignorat tamen actionem hanc, quam elicit,

habere conditiones requisitas ad hoc, ut actio sit speciei illius, quae lege prohibetur. Sic Jacob sciens fornicationem esse illicitam, concumbens cum Lia, quam sibi desponsatam credebat, ignorantiam facti habuit, non juris.

6. Est, et ignorantia. *Ex parte hominis*, et haec est, aut *vincibilis*, quae humano studio, et diligentia vinci potest. Talis est ignorantia legis naturae, circa prima principia, et circa conclusiones faciles, quas quilibet potest facili negotio cognoscere, si ad se ipsum redire voluerit. Alia *invincibilis* et est ea, quae ea diligentia, et industria, qua potest, et debet adhiberi, vinci non potest. Talis est ignorantia mysteriorum fidei, in eo, qui nihil audivit de fide.

7. Est, et ignorantia. *Ex parte voluntatis*, et triplex est *Antecedens*, quae nullo actu antecedenti quaesita, est tamen causa volendi aliquid, quod fit, quodve alias non fieret. Talis est ignorantia illius, qui summam adhibet diligentiam, ut cognoscat, an actus eliciendus licitus sit, vel non; et ignorans, facit actum illicitum, putans licitum. v. g. occidit hominem putans occidere feram etc. haec ignorantia tollit voluntarium, et excusat a peccato. *Concomitans* est ea, quae precise concomitatur actum malum, nec causat, nec impedit illum, sed concomitanter se habet ad actum. Talis est ignorantia illius, qui ira accensus, occidit inimicum, putans occidere feram, sed nesciens occidere inimicum, quem forte vellet occidere. Haec ignorantia nec facit voluntarium, nec involuntarium, sed concomitanter se habet ad utrumque, proinde nec facit peccatum, nec excusat a peccato, nec aggravat peccatum, sed extrinsece se habet ad illud. *Consequens*, seu volita, ut dicunt, per actum voluntatis, est, voluntaria privatio alicujus cognitionis, quae est causa actus mali. Talis est ignorantia illius, qui ignorat id, quod pterat, et debebat addiscere. Haec ignorantia alia est *directe volita*, et est ea, in quam fertur voluntas plena deliberatione, quam ultro amplectitur, et affectat. Alia *indirecte volita*, et est illa, quae est volita, non ultro, et in se, sed est volita ratione negligentiae. Talis est ignorantia illius, qui ductus amo-

re rerum sensibilium, negligit addiscere ea, quae sunt sui officii etc.

8. Ex dictis surgunt pro praxi haec conclusiones. Ignorantia invincibilis, et omnino involuntaria excusat totaliter a peccato. *S. Thom.* 1. 2. *q.* 66. *a* 2. Ignorantia aliquo modo affectata, vel aliquo modo vincibilis, non omnino excusat a peccato, sed solum minuit peccatum, non excusat a toto, sed a tanto, excusat a mortali, si negligentia fuerit tantum venialis, minuit mortale, si negligentia fuerit mortalis. *Matth.* 11. *a.* 24.

9. Probabilissimum est, dari de facto ignorantiam inculpabilem juris naturae, non relative ad praecepta communia, ut *Quod tibi non vis etc.*, nec relative ad Conclusiones facile eductas a primis principiis, ut, *non est blasphemandum etc.*, sed relative ad Conclusiones longe remotas a primis principiis, ut sunt multae quaestiones a gravibus Auctoribus agitatae, in quibus alii licitum putant, quod alii negant, ut sunt multae quaestiones nondum ab Ecclesia elucidatae, et excussae. *S. Thom. Lect.* 11. *c.* 5. *l.* 3. *Ethic.*

10. Ignorantia affectata non excusat a peccato, sed qui agit aliquid contra legem ex ignorantia affectata, peccat tanto gravius, quanto pertinacius affectavit ignorantiam Legis, quam violat. *S. Thom. q.* 3. *de malo a.* 8.

ILLEGITIMUS. v. IRREGULARITAS.

IMAGINES, SYMBOLA etc. *Imago est rei corporeae similitudo ad instar illius expressa*. Talis est imago hominem representans. Symbolum est signum sensibile aliquid spirituale subobscure exhibens. Tales sunt metaphoricae locutiones, quibus Divinitas nobis in Scriptura designatur.

2. Licitum est Symbola efformare, quibus Dei naturam, ejusque proprietates sub figuris sensibilibus exprimamus. Sic Spiritus Sanctus depingi potest sub specie nubis, Columbae, ignis etc. quia sub hisce speciebus pluries apparuit. Illicitus vero est eorum Symbolorum usus, quibus Divinae perfectiones depinguntur, si nullum habeant fundamentum neque in Scriptura, neque in Traditione, sed in

sola, vel Pictorum imaginatione, vel hominum ad idololatriam proclivio.

3. Licitus est usus vel Symbolorum, vel imaginum, quibus nobis Angeli depinguntur, ut eos nobis passim Scriptura repraesentat, apparuisse hominibus *Chatech. Rom. Trid.*

4. Animae Beatae solent depingi, vel sub specie columbae ad ostendendam earum innocentiae vitam, vel sub specie formosissimae Virginis ad delineandam earum pulchritudinem. Animae vero damnatorum, et Daemones pinguntur ignibus circumdati, vultu orribili, ut pateat horror conscientiae, quo interius anguntur, et ardor ignium, quibus Divinitus torquentur.

5. Licitus est usus earum imaginum, quae Christum, ejus crucem, Mariam, et Sanctos repraesentant, et quibus populus, vel in fide roboratur, vel ad virtutis exercitium incitatur. Nam *quod legentibus Scriptura, hoc idiotis praestat, Picturam, cernentibus*. S. Greg. *l.* 9. *Ep.* 9. Illicitus vero est earum usus, quibus aut falsa dogmata, aut periculosi errores, statuuntur. Sic *Trid. sess.* 25.

6. Ergo Symbola, Deum, resque Divinas repraesentantia Imagines, Christum ejusque crucem, Virginem Mariam, aut Sanctos repraesentantes, merentür honorem, non civilem tantum, sed Religiosum, qui cultus non est absolutus, sed respectivus. Talis enim debet esse cultus respectivus, erga imagines, et Symbola, qualis est cultus absolutus prototypi, quod per imagines representatur. Sic Imago Christi, cultu Latriae est respective veneranda, quia Christus, quem exhibet, adorandus est cultu Latriae absoluto, et sic dicatur de Cruce etc.

7. Sanctae Virginis Mariae, Angelorum, et Sanctorum imagines, cultu inferiori Latriae venerantur, quia Maria, Angeli, et Sancti, non adorandi sunt, sed venerandi. Syn. 8. c. 2.

Not. Imagines caeperunt coli in Ecclesia *an.* 315. contra quas acerrime, sed incassum, decertarunt *Iconoclastae*.

Not. De Imaginibus, Crucibus etc. quae ponuntur in an-

gulis viarum, in Triviis, et in domorum Atriis etc. quid dicendum? Dicendum, quod, cum oprobrio, et despectui, et probris sint potius expositae, quam venerationi, melius esset, et Religiosius non esse in locis istis. *Heu*? Qui legit intelligat. Est et hodie Iconoclastarum germen, serpens inter filios Adae.

IMMUNITAS. *Est jus, quo Ecclesiae, et alia loca Sacra, necnon Ecclesiasticae personae; ac res ipsarum, liberae, ac immunes sunt a muneribus, et oneribus saecularibus, atque ab actibus earum sanctitati, et reverentiae debitae, repugnantibus.*

2. Immunitas sic descripta dividitur in *Localem*, quae convenit Ecclesiae, aliisque locis piis, seu Religiosis. *Realem*, quae competit rebus Ecclesiasticis, idest bonis ad Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas pertinentibus. *Personalem*, quae personis competit Ecclesiasticis. Immunitas Realis, et Personalis sunt de Jur. Div. *Trid. sess.* 25., omnesque fere D. D.

3. Immunitas localis Ecclesiarum, seu privilegium *Asili* non competit Ecclesiis, aliisque locis piis de Jure Naturali, et Divino, sed solum de Jure humano tum Civili, tum Canonico.

4. Immunitate gaudet Caemeterium, esto ab Ecclesia separatum, dummodo auctoritate Episcopi sit designatum, sicut gaudent, Porticus Ecclesiae, Atrium, Tectum, Campanile, Sacristia, Scalae exteriores Ecclesiae, Fores, seu Portae Ecclesiae, Domus Parochi, modo sit Ecclesiae contigua, saltem tactae, si clausae reperiantur, Muri etc. Sed ultro extenditur per 40. passus in majori Ecclesia, per 30. in Cappellis, vel minoribus Ecclesiis circumquaque.

Immunitate gaudent Monasteria, et Conventus, et omnia loca intra eorum septa, ut horti, domus familiarum, areae etc. Sicut et omnia alia loca Religiosa, ut Seminaria, Hospitalia, Nosocomia, Orphanotrophia Xenodochia etc. Sic dicas de Ecclesiis campestribus, de domibus Confraternitatum, Canonicalium, Praepositurarum, Cardinalium, Episcoporum etc.

6. Quínam gaudeant immunitate, vel non? v. *Bullam Greg. XIV. et Bened. XIII. incip. Ex quo*. v. PRIVILEGIUM ASILORUM.

IMPANATIO. v. EUCHARISTIA n. 24.

IMPEDIMENTA Matrimonii duplicis sunt generis. Alia, quae illicitum, et *prohibentia*. Alia *dirimentia*, quae irritant Matrimonium, non quod ratum, et validum solvant, quia *Jure Divino* indisolubile est, sed quod impediant, ne ratum sit, et validum.

2. Impedimenta impedientia sunt quatuor. 1. *Ecclesiae vetitum*, prohibitio nempe ab Episcopo, vel Parocho facta nupturis, et locum habet, ubi suspicio de aliquo impedimento. 2. *Tempus*, et illud est, in quo nuptias vetat Ecclesia, nempe ab Adventu usque ad Epiphaniam, et a Feria 4. Cinerum, usque ad octavam Paschae inclusive. 3. *Votum*, quod est simplex promissio Deo facta, vel continentiae, vel Ordinem Sacrum suspiciendi, quod illicitum facit Matrimonium. 4. *Sponsalia* cum aliquo legitime contracta, nisi fuerint legitime dissoluta, illicitum reddunt Matrimonium, Hisce adjungitur *Fidei diversitas*, si nempe alteruter sit non infidelis, quia tunc dirimit, sed haereticus, quia Ecclesiasticae leges improbant hujusmodi conjugia.

3. Impedimenta dirimentia sunt quindecim his versibus expressa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Haec facianda. vetant connubia, facta retractant.

1. *Error* quadruplex est 1. Error *personae*, quando erratur circa personam, putando se cum tali contrahere, cum sit alia, Hic dirimit Matrimonium, non solum Jure positivo, sed etiam ex jure naturae, adeoque nullum est, etiam si ab Infidelibus cum tali errore contrahatur, quia errantis nullus

est consensus. 2. Error *fortunae*, cum hic putatur dives, et est pauper, vel e converso. Error hic non dirimit matrimonium; nisi certe limitaret consensum detrahentis. *S. Thom. in 4. Dist. 30. q. a. 1. a. 2. ad 5.* et alii multi. 3. Error *conditionis*, cum putatur liber, qui est servus, et est judicium quo liber judicat personam, cum qua contrahit, esse liberam, cum non sit. Conditio enim originarie servilis, est status personae non sui juris. Hic dirimit, et irritat Matrimonium, cum liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva, et e contra. 4. Error *qualitatis* alicujus personae ut dum quis putatur esse bonus, pulcher, et est malus, deformis etc. Non Dirimit Matrimonium quia defectus accidentium, non tollet consensum absolutum ad rem ipsam.

Conditio Jam dixi supra, intelligi hic status servitutis ex jure Can. si nempe persona libera illius, cui nupsit, servitutem ignoraverit, irritum fit Matrimonium: si vero noverit, conjugium valet.

3. *Votum*. Ut sit impedimentum dirimens debet esse solemne Castitatis, quod fit in approbata Religione, vel in susceptione ordinis Sacri, cum hac differentia, quod votum solemne ordinis Sacri, est solum impedimentum dirimens respectu Matrimonii, postea contrahendi, sed non dirimit Matrimonium jam contractum, quamvis nondum consumatum. *Joan. 22. in Extrav. Antique de voto*. Votum autem solemne professionis Religiosae, non solum est impedimentum dirimens respectu Matrimonii postea contrahendi, sed dirimit etiam jam contractum, ratum, non consummatum. *Trid. sess. 24. de Matrim. can. 6.*

Cognatio Illa est, quae oritur ob conjunctionem, seu attinentiam contrahere volentium, vel respectu sanguinis, vel Sacramenti, vel adoptionis, ideoque Cognatio triplex est. *Naturalis Legalis. Spiritualis.*

Naturalis, est personarum vinculum ab eodem stipite per carnalem propagationem descendentium. Cognatio haec dicitur etiam consanguinitas, et de jure naturae dirimit in primo gradu, tam in linea recta, quam transversali. *S.*

Thom. in dist. 40. *q.* 1. *a.* 3. *S. Bonav. et alii*. De jure vero Eccles. dirimit usque ad 4. gradum inclusive.

Cognatio Spiritualis. *Est vinculum inter aliquas personas, ex regeneratione spirituali procedens, idest ex Baptismo, et Confirmatione*. Hoc impedimentum introductum est solum jure Eccles. Haec cognatio Jure antiquo triplex erat, scilicet *Paternitas*, *Compaternitas*, et *Confraternitas*. Jure autem novissimo *Trid. sess.* 24. *de Matrim. c.* 2., ad tollenda inconvenientia, decrevit sublatam dictam Confraternitatem spiritualem, et certo modo restrinxit ad solam Paternitatem, ita ut hodie; in Baptismo Baptizatus spiritualiter conjungitur cum baptizante, nec non cum Patrinis, et Pater, et Mater baptizati remanent spiritualiter conjuncti cum baptizante, et Patrinis. Sic dicatur de confirmatione. Secundum jus, si haec cognatio post matrimonium contrahitur, petitionem impedit, et redditionem debiti, donec dispensatio obtineatur.

Cognatio Legalis est propinquitas personarum, quae ex adoptione provenit, et inter certas personas Matrimonium dirimit, et triplex est. *Paternitas*: *Fraternitas*: *Affinitas Legalis*. Paternitas est cognatio inducens impedimentum in linea recta inter adoptantem tamquam Patrem legalem, et adoptatum tamquam filium, et adoptati descendentes, usque ad 4. gradum, et haec cognatio durat, et dirimit Matrimonium, etiam si adoptio per emancipationem fuerit solutae; parit enim certam conjuctionem naturae similem.

Fraternitas Legalis, est cognatio in linea transversali, impedimentum inducens inter liberos naturales legitimos, adoptàntis, et adoptatum, tamquam fratres, et sorores legales, quae tamen expirat adoptione expirante.

Affinitas Legalis, est cognatio inter adoptantem, et uxorem adoptati, et vicissim. Haec semper durat, etiam adoptione soluta.

Cognatio Legalis dirimens Matrimonium, etiam oritur inter ipsos filios adoptivos, si plures ab eodem adoptentur,

nec valide possunt contrahere, nisi soluta adoptione. *D. Antonin.* 3. *p. t.* 1. *c.* 13. *et alii.*

Cognatio Legalis dirimens Matrimonium, non oritur inter adoptatum, et filiam illegitimam adoptantis, quia haec non est in linea naturalium liberorum, nec sub patria potestate.

Cognatio Legalis dirimens Matrimonium, non oritur inter adoptantem, et parentes adoptati, nec contrahi prohibetur. *Com cum D. Antonin.* 3. *p. t.* 1. *c.* 13. *v.* ADOPTIO.

5. *Crimen* Est inhabilitas, Jure Eccles. inducta, ad contrahendum Matrimonium, orta vel ex homicidio solo; vel ex adulterio solo; vel ex utroque simul. Ex homicidio solo, cum quis occidit conjugem alterius conspirantis, vel consentientis in homicidium, cum intentione postea Matrimonium ineundi cum homicida. Ex adulterio solo, cum, sive ante, sive immediate post adulterium, adulteri invicem promiserunt contrahere post obitum conjugis. Ex Adulterio, et homicidio simul, cum post admissum adulterium simpliciter, et sine data fide de futuro Matrim conjux unius occiditur ab alterutro, etiamsi adulter superstes non consenserit.

6. *Cultus disparitas* Est inhabilitas ad contrahendum Matrimonium inter personas, quarum una est baptizata, alia non. Irritat solo jure Ecclesiast., si non scripto, saltem consuetudinario. Catholici ergo valide, licet illicite, contrahunt cum haeretico, vel schismatico. Immo Matrimonia nedum sunt valida cum haereticis, sed, et licita in locis, ubi Catholici, et haeretici promiscue vivunt. Adest tamen in contrarium Decret. Clem. XI. Joan. 22. etc.

7. *Vis* Inabilitat ad contrahendum Matrim. violentia, orta ex gravi metu, injuste a causa libera incusso ad Matrimonium extorquendum. Dirimit Matrimooium solo Jure Eccles. sed fundato in Jure Naturali, dictante, posse irritari contractum, cui ab initio defuit spontaneum plenum, conjunctum injuriae, quae non potest reparari, nisi per ir-

ritationem Matrimonii. *SS. Thom. et Bonav., in 4. dist.* 29. *q.* 1. *a.* 3. Sed.

Metus gravis ab intrinseco proveniens non invalidat, nec dirimit Matrimonium; si enim votum Religionis emissum a constituto in mortis articulo validum est, sic erit de Matrimonio dicendum. Sed nec invalidat, aut dirimit metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus, ut si contrahatur metu excommunicationis infligendae etc.

8. *Ordo.* Est impedimentum ad contrahendum Matrimonium ortum ex susceptione Sacrorum Ordinum. Dirimit solo Jure Eccles. *Trid. sess.* 24. *can.* 4. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. Clericus in Sacris constitutus Matrimonium contrahens, praeter nullitatem Matrimonii, incurrit excommunicationem, et irregularitatem, et deponi jubetur, non solum ab Officio, sed quolibet beneficio privari.

9. *Ligamen*. Est inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex vinculo prioris Matrimonii sive rati, sive consummati, quo durante, secundum Matrimonium, jure naturali, et Divino est irritum *Trid. sess.* 24. *de Matrim. can.* 2. Neuter conjugum potest transire ad secundas nuptias, nisi habita notitia moraliter certa de morte alterius, sine qua transiens ad secundas nuptias, illicite quidem, sed valide contrahit, si revera, dum contraxit, conjux mortuus erat, quia pro nunc non erat Ligamen etc.

10. *Honestas publica*. Est propinquitas orta ex sponsalibus validis, aut matrimonio rato non consummato. Dirimit solo Ecclesiastico Jure. Hoc impedimentum declaratum fuit a *Trid. sess.* 24. *de Matrim. cap.* 3. ubi declaratur, quod impedimentum publicae honestatis non amplius oriatur ex sponsalibus invalidis; et quod ortum ex validis dirimat inter sponsum, et consanguineos sponsae, et e converso, solum usque ad primum gradum: Sponsalia valida mutuo consensu soluta inducunt publicae honestatis impedimentum.

11. *Amens*. Amentia dirimit Matrimonium contrahendum jure naturali, cum tollat usum rationis, ac proinde omnem consensum, sine quo nullus est contractus. Quod si amentia

non sit perpetua, potest, qui ea laborat, contrahere in lucido intervallo.

12. *Affinis*. v. AFFINITAS.

13. *Impotentia*. Est inhabilitas ad contrahendum orta, ex incapacitate exercendi consummatam, et completam copulam: unde sterilitas non est impotentia. Ad omnia solvenda dubia sat est scire, solam impotentiam antecedentem Matrimonium, et perpetuam esse impedimentum dirimens, sive postea haec sit, vel respectiva, vel absoluta etc.

14. *Clandestinum*. Ex *Conc. Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim.* est impedimentum, si Parochi, aut duplicis desit praesentia testis. Ad valorem igitur Matrimonii requiritur praesentia proprii Parochi alterutrius sponsi, et duorum Testium.

15. *Raptus*. Est Impedimentum a Trid. statutum, et est violenta abductio faeminae in ordine ad contrahendum Matrimonium. Violentia inducens raptum, est non solum physica per violentam manuum injectionem, sed etiam moralis, per minas, aut gravem metum, et ad hoc, ut sit impedimentum, violentia debet esse illata puellae raptae, non parentibus, aut tutoribus: unde si puella volens, et consentiens abducitur, invitis etiam parentibus, et tutoribus, non oritur impedimentum raptus. *Trid. ib.* Raptus dirimit Matrimonium, etiam si faemina rapta non sit virgo, sed corrupta, vidua, conjugata, inhonesta, et etiam meretrix.

Raptus, quo foemina rapit virum, non dirimit Matrimonium. Impedimentum raptus inter raptorem, et raptam perseverat, esto rapta post raptum libere consentiat. Raptores, et eorum auxiliatores, si fuerint Laici, morte plectuntur, et incurrunt excommunicationem, quae tamen nulli est reservata. Si sunt clerici deponuntur ab eorum officiis post Judicis sententiam

16. Circa dispensationem positorum impedimentorum, dico: Summus Pontifex dispensare potest super quovis impedimento impediente, et super impedimentis de Jure Ecclesiastico dirimentibus: sed, et ex praesumpta Dei voluntate,

urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de Jure Divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur, ut in impedimento voti solemnis, et hujusmodi. Comm. cum *S. Thom. in 4. dist. 33. q. 1. a. 4. quaestiunc. 1. in corp.* Nequit tamen dispensare in Matrimonio jam consummato, quoad vinculum, *contra haereticos*, cum Matrimonium Fidelium elevatum sit a Christo ad esse Sacramentum, quod nulla humana potestate dissolvi potest. Rigorose loquendo, nec dispensare potest in illis impedimentis, quae sunt Juris Div. naturalis, independentis quoad originem ab humana voluntate; cum Jus naturale Div. sit supra quamcumque humanam potestatem creatam, etiam Pontificiam. Potest tamen Jus Div. interpraetari, et declarari, quod in aliquo casu valde particulari non obliget. *Comm. cum S. Thom. 2. 2. q. 54. a. 6.*

17. Legati a Latere, Nuncii Apostol. possunt in sua Provincia dispensare super omnibus illis impedimentis, supra quibus dispensare possunt Episcopi in sua Dioecesi, cum sint suae Provinciae Judices ordinarii.

18. *Episcopi* ordinarie loquendo nequeunt de Jure communi dispensare in ullo impedimento dirimente; quia omnia impedimenta Jure Ecclesiast. dirimentia introducta sunt vel Decreto Summi Pontificis, vel alicujus Gen. Concilii; cum autem Episcopi inferiores sint Papa, et Conciliis, ideo nequeunt in eorum lege dispensare: Urgente tamen necessitate dispensare possunt pro foro conscientiae in impedimentis de Jure Eccles. dirimentibus, si impedimentum sit occultum: Si Matrimonium sit publicum, si sit bona fide contractum, si adsit vera necessitas, et causa non patiatur dilationem: *Sic comm. D. D.* immo etiam ante contractum Matrimonium possunt dispensare in impedimentis de Jure Eccles. dirimentibus, posita urgente necessitate, salutis animae, et non sit aditus ad Pontificem, vel ratione morae etc. Sic cum comm. DD, declaravit *Sixtus V.*

19. *Vicarius Gen. Episcopi* vi officii sui, sine speciali

mandato nequit dispensare super impedimentis Matrimonii occultis in Foro interno, super quibus Jure ordinario potest Episcopus, multo minus ergo poterit dispensare pro foro externo pro illis impedimentis, super quibus dispensare potest Episcopus tantum ex speciali Pontificis facultate. Poterit tamen Episcopus Vicario Gen. aut aliis idoneis Sacerdotibus communicare facultatem dispensandi, quam habet, ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro; et etiam facultatem, quam habet jure ordinario pro foro interno.

20. *Capitulum*. Sede vacante, ejusque Capitularis Vicarius valide, et licite, potest dispensare, pro foro conscientiae super eisdem occultis impedimentis, super quibus potest Episcopus Jure ordinario *Comm.*, quia succedit Episcopo in omnibus, quae sunt ordinariae jurisdictionis, *demptis solis casibus in jure specialiter exceptis*. Non tamen dispensare potest in iis, super quibus dispensat Episcopus ex speciali sibi facultate concessa, aut particulari privilegio, quia *privilegium personale sequitur Personam, et cum persona extinguitur*. v. Bened. XIV, *De Syn. Diec. l.* 6. *c.* 12.

IMPRECATIO Est *actio, qua nobis, vel aliis malum praecamur*. Duplex est. Imprecatio *irae*, et est actio, qua nobis, vel aliis ex impetu irae optamus malum. Imprecatio *Juramenti*, est actio, qua nobis, vel aliis malum optamus, si, quod juramento, vel asserimus vel promittimus, non sit verum; talis actio vocatur etiam juramentum execratorium. Ergo.

2. Qui sibi, vel alteri ex motu irae deliberato imprecatur ingens malum mortaliter peccat, et si adsint, qui audiant, peccat peccato scandali: peccat vero venialiter, si adsint, vel levitas materiae, vel indeliberatio. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 76. *a.* 3.

3. Peccat ideo, et mortaliter, qui ex motu irae deliberato precatur sibi ingens malum, ut. *Diabulus me invadat, suffocet etc. pereat*, etc., maledictio enim contra seipsum semper mortalis est.

4. Peccat qui motu irae deliberato alteri malum ingens optat,

ut pereat, annichiletur etc. maledictio enim contra alterum, semper culpa gravis est.

5. Peccat mortaliter, et perjurii, qui sibi, vel aliis, ingens malum precatur, jurans mendaciter, quia utrumque peccatum grave est, et ita bis peccat, qui jurans mendaciter, sic dicit. *Diabulus me possideat, si verum non dixero etc.* Quod si verum diceret, sublato scandalo, non peccaret.

IMPROPERIUM. v. CONTUMELIA.

INCESTUS. *Est copula nefaria cum consanguinea, aut affine intra quartum, aut proximum gradum.* Multiplex est. Alius oritur ex violatione cognationis legalis contractae per adoptionem. Alius nascitur ex violatione cognationis spiritualis ortae ex Baptismo, et Confirmatione. Alius ex Sacrilegio per congressum Confessarii cum filia poenitente Spirituali. Est peccatum mortale gravius fornicatione. Deus enim incestuosis maledictionem minatur. *Deuteron.* 27. *v.* 20.

2. In confessione aperiendus est gradus consanguinitatis, vel affinitatis, quo enim propinquior persona, eo gravior culpa.

3. In confessione aperiendus est gradus consanguinitatis, vel affinitatis, quo inducitur impedimentum Matrimonio, ne qui incestuose peccaverunt, ob illud silentium, invalide contrahant etc.

INCONSTANTIA Fortitudini opponitur, et *est illa* ex *D. Thom. qua quis sine justa causa a bono proposito desistit.* Potest esse mortalis, vel venialis, prout gravis, vel levis obligatio violatur. Est enim semper veniale, sine justa causa, bonum propositum mutare, vel a bene caepto desistere, in re non praecepta.

INDELIBERATIO. Est *defectus deliberationis, quo homo non se determinat ad agendum.* Haec excusat in omni materia, quia tollit voluntarium.

INDIGNATIO. *v.* IRA *n.* 2.

INDULGENTIA. Juxta Ecclesiae mentem, definitur *Remissio poenae temporalis, quae, post culpae condonationem, su-*

perest luenda, ab eo facta, qui potestatem habet coelestem Ecclesiae Thesaurum dispensandi.

2. Ecclesia habet a Christo potestatem concedendi Indulgentiam, dicente ipso; *Quaecumque alligaveritis etc. Quaecumque solveritis etc.* Est de fide contra haereticos.

3. Indulgentiae generales a Summo Pontifice solum concedi possunt ex Jure Divino. Episcopi in sua Dioecesi possunt Indulgentias conferre, sed solum secundum Canonum limitationem, per quos est statutum, ut Episcopi unius dumtaxat anni indulgentiam in Dedicatione Ecclesiae, et 40. dierum in aliis causis, impertiant. *Conc. Lat. IV. Can.* 62.

4. Effectus, seu fructus Indulgentiarum, in eo situs est, ut infirmitati humanae subveniat, in persolvendis Deo offenso satisfactionibus. Quales autem esse debeant, cognosci potest ex diuturnis, austeris, et publicis illis probationibus, quibus olim poenitentes subiiciebat Ecclesia. Ad reconciliationem non admittebantur, priusquam plurimos annos transegissent in lacrymis, ac jejuniis, cinere conspersi, sacco induti, a Sacris Mysteriis, et fidelium societate segregati. Hinc cum etiam nunc Dei offensa, eadem etiam est facienda poenitentia, quae peccatorum numero, et gravitati respondeat: Indulgentia ergo est nostrae impotentiae supplementum, nosque a poenis liberat, quibus in hac, vel in altera vita, deberemus esse obnoxii.

5. Illud habet utilitatis Indulgentia, ut eos compenset defectus, a quibus in agendâ poenitentia, non semper praecavet humana fragilitas.

6. Indulgentia Generalis in conjunctis Ecclesiae precibus maximum offert peccatoribus subsidium, quo valeant a suis lapsibus se se erigere. Ecclesia enim ingentissima societas est, familia, seu unum corpus ex multis coalescens membris, et proprium habet, ut omnia sua bona sint communia Multum propterea habent sperare peccatores, iam Dei placaturos universae Ecclesiae precibus adjuti.

7. Dispositiones ad percipiendos hos fructus sunt. Status gratiae sanctificantis, propositum efficax Deo satisfaciendi,

quia nonnisi vere contritis, vere poenitentibus, beneficium Indulgentiae concedi solet, ut in suis Diplomatibus se se exprimunt Romani Pontifices. Ad percipiendum hunc fructum, minime sunt aspernanda stationes, jejunia, orationes, eleemosynae, et alia pietatis opera; quae sunt a concedente praescripta, sunt enim necessariae conditiones, multumque utiles.

8. Nunc de Subjecto Indulgentiae. Certum est apud Catholicos omnibus Ecclesiae militantis fidelibus per charitatem Christo conjunctis, applicari posse indulgentias. Difficultas est de defunctis, quibus aliquid penae post hanc vitam luendum superest. Supposita Purgatorii existentia, de qua in *Epit. Theolog. loquor*, brevi calculo sic me expedio.

9. Purgatorium est locus doloris, in quo animae justorum retinentur, quae vel nondum sunt purgatae venialibus, vel quae per viam justitiae Div. non plene satisfecerunt pro culpis laethalibus, quarum remissionem quoad culpam obtinuerunt. Post sublatam enim culpam, remissamque aeternam poenam, luenda superest aliquando temporalis paena, nisi in praesenti saeculo fuerit persoluta, in altero est absolute subeunda. De fide enim est existere Purgatorium, ex Scripturae l. 2. *Machab.* 12. v. 43. etc. *Matth.* 12. v. 32. et ex innumeris Patribus, qui passim docent precibus, eleemosynis etc. plurimum adjuvari mortuos, quae omnia, cum nec Beatis, nec inferno positis applicari queant, de justis in Purgatorio degentibus sunt intelligenda.

10. Indulgentiae ergo mortuis prosunt, et possunt applicari per modum suffragii, eo nempe sensu, quo Ecclesiae precibus, justorum orationibus, jejuniis, eleemosynis adjuventur mortui, Deo propter suam misericordiam acceptante, quae pro illis offeruntur opera bona. *S. Aug. l.* 20. *de Civ. Dei*, et Leo X. damnavit Lutheri propositionem negantis mortuis utiles esse Indulgentias.

11. Per thesaurum Ecclesiae communiter intelligunt Theologi, hunc esse ex Christi, Beatae V. Mariae, Sanctorum, et justorum etiam in terris degentium, sed dispari gradu, me-

ritis conflatum, quem Ecclesia potest per Indulgentias poeni tentibus dispensare, ut eorum succurrat infirmitati, et ea, quae ipsorum satisfactionibus desunt, suppleat, quo sensu Christus ait *Thesaurizate vobis thesauros in Coelo*. Nunc.

12. Indulgentia multiplicis est generis. Alia est Plenaria, alia non. Plenaria illa est, quae remittit totam poenam temporalem ex peccatis omnibus quoad culpam jam dimissis restantem, et debitam. Circa hanc aliqui distinguunt, inter indulgentiam plenam, pleniorem, plenissimam, quoad effectum, multum inter eas apparet discrimen, cum non solum indulgentia plenissima, sed etiam plenior, et plena, in rite dispositis, et confessis conferat remissionem omnium poenarum pro peccatis quoad culpam jam remissis debitarum, quas quis in Purgatorio luere deberet, et per istum loquendi modum nihil aliud intelligitur, quam *Indulgentia adeo plena, prout Clavium potestas se extendit*.

13. Indulgentia concessa *instar Jubilaei, per modum Jubilei, in forma Jubilaei*: nihil aliud significat, quam Indulgentia plenaria, sine tamen annexa facultate absolvendi a reservatis, commutandi vota, et hujusmodi. quae alias conceditur in Jubilaeo, ut mox dicam. Unde Indulgentia *instar Jubilaei, in forma Jubilei, per modum Jubilaei*, non distinguitur reapse ab Indulgentia plenaria.

14. Indulgentia partialis, alia vocatur. *Quarena, Quadragena, Quarantena*, quae significat Indulgentiam quadraginta dierum, idest remissionem tantae paenae, quanta fuisset remissa, ob penitentiam quadraginta dierum, olim ab Ecclesia pro certis peccatis in Canonibus Poenitentialibus statutam.

Alia *septena*, idest Indulgentiam septem annorum. Alia, *centum dierum*; *centum annorum*: *mille annorum*: *bis centum mille*, et hujusmodi, per quam non est intelligendum, quod totidem dies, vel anni, poenae luendae in Purgatorio remittantur, seu mora tanti temporis futura in Purgatorio relaxetur, sed per similem indulgentiam debet intelligi, quod per ipsam remittatur tanta paena, quanta

remitteretur virtute illius poenitentiae per Canones Penitentiales, in Jure Canon. impressas, si ipsa per tot dies, et annos in hoc mundo perageretur. Has tamen Indulgentias. *Sotus*, *Estius*; *Card. B. Thomasius*, asserunt incredibiles, ac plane improbabiles esse, nec S. Sedi ullo modo tribuendas.

15. Indulgentia item alia est *perpetua*, alia *temporalis* alia *indefinita*. Insuper alia est *Localis*, alicui locum aliquem visitanti concessa. Alia *Realis*, quae conceditur rebus mobilibus, ut *Coronis*, *Crucibus*, *Medaliis etc.*, idest fidelibus talia gestantibus, et ad hoc opera injuncta praestantibus. Alia *Personalis*, quae independenter a loco, et re, conceditur directe alicui personae, ut eam lucretur ubicumque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale peregerit opus.

Not. Queritur, cur plures animae adhuc in poenis Purgatorii remaneant, non obstantibus Missarum Sacrificiis, et Indulgentiis Plenariis pro ipsis applicatis, et a Deo acceptatis? Dicendum hoc oriri, quia ipsae descenderint in Purgatorium cum peccatis venialibus, nondum quoad culpam dimissis, quod Indulgentiae tollere nequeunt; cum poena non tollatur, seu remittatur, nisi prius remissa culpa, quae non potest remitti, nisi per satisfactionem propriam, usque ad novissimum quadrantem in Purgatorio.

16. Jubilaeus. *Est Indultum Pontificis, indulgentiam Plenariam, et magna privilegia tribuens, certa opera, in Brevi praescripta, praestantibus*. Jubilaeus nihil differt ab Indulgentia in effectu, qui est integra poenae debitae remissio; utraque enim Indulgentia totam remittit. Si quae autem est differentia, est tantum in Privilegiis quibusdam, quae Indulgentiis plenariis non conceduntur, Privilegia autem Jubilaei sunt plura. Primum est, quod major, et gravior causa requiritur in Jubilaeo, quam in Indulgentia Plenaria. Jubilaeus enim ad totam spectat Ecclesiam, et in eo nulla est subreptio. 2. Per Jubilaeum melius disponuntur fideles, quam per Indulgentiam, quia plura, et majora, quae injunguntur fidelibus pro lucrando Jubilaeo, gratiora sunt Deo, et officacious

ciora ad ejus misericordiam flectendam. 3. In Jubilaeo liberum est unicuique eligere, quem maluerit ex approbatis ab Episcopo Confessarium. Confessarius namque pro tempore Jubilaei potest ab omnibus peccatis, et Censuris etiam reservatis sive Episcopo, sive Summo Pontifici absolvere: ulterius vota commutare, et in iis dispensare, *excepto voto Religionis, et castitatis perpetuae*; modo causam habeat sufficientem. Per vota Religionis, et castitatis perpetuae, intelliguntur illa vota, quae solet quis emittere in saeculo, super quibus, nec Jubilaei tempore potest dispensari.

17. Beneficio Jubilaei, Moniales non possunt sibi eligere Confessarium, ex approbatis simpliciter ab Episcopo, nisi fuerit etiam approbatus pro Monialibus. Sic dicendum de iis Sacerdotibus, qui pro uno loco sunt approbati, qui in alio, etiam tempore Jubilaei, non possunt Confessiones audire, quia in alio loco, utpote non approbati, non sunt Confessarii.

18. Septem sunt opera, quae praescribi solent pro Jubilaeo lucrando, scilicet: Processio, Visitatio Ecclesiarum, Oratio in illis, Confessio, Communio, Jejunium, Eleemosyna; ut patet ex Bullis, quae pro Jubilaeis edi solent: Ordinarii non possunt, nec debent plura requirere.

19. *De dispositionibus ad Jubilaeum lucrandum dictum est supra*

Not. Obiter. Celebris Indulgentia concessa a Christo Seraphico Patriarchae Francisco an. 1218. tempore *Honorii III.* Aplicabilis Defunctis ex concessione *Alex. VIII.* durat a Vesp. 1. Augusti usque ad occcasum sequentis diei.

INFAMIA. Est poena Canonica, et *est privatio, sive diminutio bonae famae, sive laesae dignitatis, status vita, et moribus reprobatus*.

2. Infamia duplex est. Una *Juris*, altera *Facti*. Haec posterior accidit, cum quis tale perpetrat, ut ejus bona existimatio apud probos, et honestos viros laedatur, licet jure aliquo expresso non notetur infamia. Altera *Juris*, quae Jure ipso infligitur in certa committentes crimina, idque dupliciter; vel *ipso facto*, vel Judicis emanata *sententia*.

3. Regula universalis est: Jure Canonico omnes illi infames sunt, qui jure civili sunt infames, nisi infamiam Jure civili introductam sustulerint speciatim Canones.

4. Jure Canon. infames sunt Sacrilegi, incestuosi, homicidae, perjurii, adulteri, raptores, maledici, venefici, de bello publico fugientes, criminibus capitalibus irretiti, sepulcrorum violatores etc. Ast infamia Canon. orta ex occulto crimine, tollitur per poenitentiam, secus, si manifesta sit.

INFANTES sine baptismo decedentes v. PECCATUM. *n.* 14.

INFANTICIDIUM v. ABORTUS. HOMICIDIUM.

INFIDELITAS. *Est ea, quae adversatur fidei Theologicae* et est peccatum Fidei contrarium.

2. Duplex est. *Positiva*, et est illa, qua aliquid creditur contrarium fidei, qualis est in haeretico, et est culpabilis. *Negativa*. et est carentia fidei, ut in illis, qui nihil audierunt de fide, et haec est inculpabilis. Infidelitatis species sunt Paganesimus, Judaismus, Haeresis. v. *suis locis*.

INFIRMUS v. EUCHAR. *n.* 14. EXTREM. UNTIO.

INIMICITIA *Est status animae, quo male quis afficitur erga eos, qui illi adversantur*. Haec cum odio coincidit, eo solum discrimine, quod odium significat actum; inimicitia vero permanentiam in eodem actu: hinc inimicitia in proximum, sive interius latens, sive exterius se prodens, si sit plene deliberata, et in materia gravi est peccatum mortale.

2. Peccat ideo, et graviter Interius inimicitias fovens: reconciliationem petenti denegans: Signa charitatis inimico non exhibens: Negans communia beneficia, maxime si sit affinis, vicinus etc. si oriatur scandalum etc.

INJURIA dupliciter inferri potest vel *positive* influendo in damnum; vel *negative*, non impediendo, cum debet. Quomodocumque gravi non vacat culpa.

INORDINATUS CONCUBITUS. *Est is, in quo non servatur naturalis ordo concumbendi*. Hinc si in tali deordi-

natione sit periculum, semen extra vas effundendi, impediendi generationem, prolem conceptam suffocandi etc. est gravis culpa, quia semen frustratur fine, ad quem est ordinatum: si haec absint, est grave peccatum veniale, a quo excusantur conjuges, qui ob in dispositionem alterutrius corporis, non possunt modum servare ordinarium; modo evitetur periculum effusionis seminis.

INQUISITIO, INQUISITOR v. ACCUSATIO *n.* 3.

INSTITUTIO. v. PRAESENTATIO *n.* 1,

INSTITUTIO ORDINUM. v. ACOLYTHATUS.

INTEGRITAS CONFESSIONIS v. CONFESSIO *n.* 7. AD VALOREM SACRAMENTI. *Ibid.*

INTEMPERANTIA v. EXCESSUS.

INTENTIO nihil aliud est, *quam voluntas conficiendi Sacramenti, Missae celebrandae, Divini officii peragendi etc.*

2. Haec quadruplex est. *Actualis*, et est praesens applicatio animi ad id, quod agitur, ut ad Baptismum, qui confertur etc. *Virtualis* est ipsamet, quae praecessit actualem, et moraliter in Ministro perseverat, quamdiu per contrariam intentionem, non fuit revocata. *Habitualis* est ea, quae non fuit revocata, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interrupta, itaut non influat in actum humanum nec per se, nec per virtutem a se relictam. *Interpraetativa*, est ea, quae neo fuit, nec est, sed esset, si ejus objectum voluntati proponeretur, unde non tam est intentio, quam intentionis praesumptio.

3. Intentio actualis non riquiritur absolute, quia, ut plurimum non est in potestate hominis. Habitualis non sufficit, quia actum humanum non dirigit. Interpraetativa quoque non sufficit, quia, cum nec actu, nec virtute existit, non applicat agentem ad actionem. Virtualis requiritur, et sufficit, quia sufficiens est ad ponendum actum humanum. Porro intentio dirigi debet ad rem determinatam, praesentem, sensibilem, juxta exigentiam formae.

4. Intentionis objectum esse debet, id peragendi, quod facit Ecclesia, ut contra Lutherum statuit *Trid.*, quia non

est necesse, ut intentio Ministri ad ipsum Sacramenti effectum referatur.

INTERDICTUM *Est Ecclesiastica censura, qua prohibentur Div. Officia, Sacramenta, sepultura Ecclesiastica etc.*, et quintuplex est. *Locale*, quo locus tantum: *Personale*, quo persona: *Mixtum* quo locus, et persona simul: *Generale*, quod omnes ejusdem loci Ecclesias afficit, et coemeteria, si contigua sint, *Speciale*, quod quasdam solum personas, loca quaedam afficit. Hinc.

2. Interdictum, non vetat conferri fidelibus Sacramenta necessaria ad salutem, immo neque exercitium illorum Sacramentorum, et actionum, quae possunt fideles ad salutem conducere, proindeque licitum erit, Verbum Dei praedicare, modo nullum celebretur officium: Baptismum: Confirmationem, Poenitentiam morientibus administrare; In die Coenae Chrisma conficere, Viaticum morituris deferre. Poenitentiam extra mortis periculum dispositis ministrare, non vero iis, qui interdicto causam dederunt, nisi dent cautionem de satisfaciendo. Si Ecclesia non sit nominatim interdicta, licet in ea celebrare Missam, et Div. Officia singulis diebus, submissa voce, Januis clausis, non pulsatis Campanis, exclusis interdictis, et excommunicatis: Licet celebrare Missas etiam solemniter, simul, et Div. Officia pulsatis Campanis, admittendo Personas interdictas, sed non excommunicatos, et hoc in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis Virginis, quibus Corporis Christi solemnitatem addidit Martinus V. Si Ecclesia sit nominatim interdicta, unam tantum Missam celebrare licet in hebdomada, ad Eucharistiae innovationem. Licet sepelire Clericos, qui Interdictum servaverunt, ea lege, ut campanae non pulsentur. Sacris interesse possunt Laici tempore Interdicti, qui sunt necessarii Sacerdoti, ut decenter peragat D. Officia.

3. Cum plura connectuntur, interdicto loco principali, locus accessorius, et contiguus censetur Interdictus; sed cum plura disparate se habent, interdicto uno, aliud non censetur

interdictum. Sic interdicta Civitate, suburbium censetur interdictum etc. Interdicta Ecclesia, Sacellum, et Cemeterium eamdem habent sortem. Interdicta Communitate singuli de Communitate sunt interdicti, ita ut non valeant alibi Sacris interesse: Interdicta civitate, et Ecclesis matricibus, Religiosi tenentur servare Interdictum, nec non cessationem a Divinis sub paena Excommunicationis, ipso facto incurrendae, quia Religiosorum Ecclesiae sunt quasi Matricium accessoria. Interdicto Clero, populus non censetur interdictus, et viceversa, quia disparate se habent. Interdicta civitate propter delictum Rectoris vel Principis, innocentes cives possunt extra urbem Sacris interesse, et participare, quia disparate se habent

4. Interdictum, nullus observare tenetur, si non observetur ab iis in quorum poenam est concessum. Interdictum servare non tenetur a Papa exemptus, vel posita legitima causa v. g. quia est de familia illius, qui est exemptus, vel quia Clericus indiget opera Clerici, ut rite munus suum peragat.

5. Nunc de peccato, et poenis in violantes interdictum. In excommunicationem Summo Pontifici reservatam incidunt Laici, qui interdictum violant Ecclesiasticum, vel servari prohibent: Clericus personali interdicto ligatus, si illud violet, Officium suum exercendo, irregularitatem incurrit, et si ab Interdicti sententia appellaverit.

6. Ab Interdicto nulli reservato, potest adsolvere quilibet approbatus Sacerdos, et ab Interdicto reservato non potest absolvere, nisi is, qui illud reservavit. Ab interdicto locali, et communi, solus Episcopus absolvere potest, ut solus Ordinarius Judex.

7. Interdictum cessat, cessante subiecto Interdicti, quia me destructo, destruuntur ea, quae in me sunt. Sic destructa civitate, cessat contra illam latum Interdictum etc.

8. Generale locale interdictum incurritur: Propter impedimentum datum executioni Officii Legati, aut Nuncii Apostolici. Propter illatam injuriam in Episcopum quemcumque,

Propter perseverantiam per mensem in Excommunicatione, vel Suspensione. Propter exactionem Gabellae a Personis Ecclesiasticis.

9. Interdictum speciale locale incurritur, propter fraudulentam Clericorum inductionem ad eligendam Sepulturam vel electam non mutandam: Propter Sepulturam Ecclesiasticam haeretico concessam.

10. Interdictum generale personale incurritur, propter concessionem, vel extensionem represaliarum contra personas Ecclesiasticas, earumque bona, propter exactionem onerum sine assensu summi Pontificis a personis Ecclesiasticis; propter appellationes ad futurum Concilium a sententiis Summi Pontificis: propter concessionem literarum dimissoriarum, factam a Capitulo, infra annum, Sede vacante. *Trid. sess.* 7. propter susceptionem alicujus rei spectantis ad Ecclesias vacantes: propter tollerantiam Universitatum, non expellentium usurarios manifestos: propter resistentiam divisioni factae a Summo Pontif. etc.

11. Interdictum generale, et particulare incurritur: Propter inobservantiam dispositionis praescriptae circa censuras ferendas: propter dignitatem Ecclesiasticam de manu Laici acceptam: propter usurpationem ab Episcopo bonorum Ecclesiasticorum vacantium, factam: propter alienationem bonorum Ecclesiasticorum factam a personis Ecclesiasticis, inconsulto Romano Pontifice: propter denunciationem non factam intra tres menses a Metropolitano, vel antiquiore Suffraganeo Summo Pontifici, de Metropolitani, vel Suffraganei absentia. *Trid. sess.* 6. *de res. c.* 1.

INTERESSE triplex est. *Conventum*: *Commune*: *Singulare*. Primum est, quod inter partes a principio taxatum, et conventum est, quod proprie poena dicitur: Secundum est, quod ab omnibus communiter aestimatur: Tertium est, quoties una res plus valet uni personae, quam aliis omnibus, propter certam illius rei qualitatem, et hoc est duplex: Unum simplicis affectionis: aliud interesse affectionis, ob utilitatem, ut liber propria manu scriptus. etc.

INTERPRAETATIO LEGIS. *Est ejusdem legis explicatio, cum non clare apparet rationalis mens Legislatoris*. Tunc solum ergo interpraetatione uteudum est, cum ex verbis legis non clare appareat rationalis intentio Legislatoris, minime vero, si clare apparent. Sic, cum lex ita est clara ut nullum relinquat dubium circa rationalem mentem Legislatoris, verba legis sumi debent, ut sonant. Sic verba Legis Divinae accipienda sunt, ut Ecclesia proposuit, et non, ut cupiditas suggerit: Cum obscura verba Legislatoris fuere exposita per Legislatorem, observanda sunt secundum interpraetationem Legislatoris. Sic Matrimonium, debet esse indissolubile, et unius cum una, quia legem Matrimonii sic interpraetatus est Christus etc.

2. Non licet legem interpraetari secundum privatos affectus, sed solum juxta aequiorem justi Legislatoris intentionem. etc.

INTERRUPTIO MORALIS, vel Physica. v. ACT. HUM. n. 8.

INTERSTITIA. Nihil aliud sunt, quam *illud intervallum temporis, quod ex Ecclesiae constitutione interjacere debet, inter susceptionem unius Ordinis ab alio*. Ecclesia haec statuit interstitia, ut nota esse posset, ac perspecta vocationis Clericorum veritas, morum probitas, et capacitas. *Trid. sess.* 23, *de Reform.* Quodnam autem intervallum inter unum Ordinem, et alium esse debeat, variant DD. Ego cum *Barbosa*, dico, debere esse intervallum illud, de uno ex temporibus generalium ordinationum ad aliud.

2. Ordines Minores ex dictis, conferuntur per temporum interstitia, nisi aliter videatur Episcopo.

3. Inter ultimum minorem Ordinem usque ad Sacros Ordines, annus est interjiciendus, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiae, judicio Episcopi aliud exposcat. A Subdiaconatu ad Diaconatum, et ab hoc ad Sacerdotium, similiter annus integer interjici debet. *Trid. sess.* 23, *de Ref.* c. 11.

4. Circa Interstitia, Episcopus dispensare potest, ut est dictum, ob Ecclesiae aut utilitatem, aut necessitatem,

sed non potest sine dispensatione Summi Pont., loquendo de ascensu a Diaconatu ad Presbyteratum. *Trid. ibid.*

INTESTATUS ille est, qui haereditatem relinquens, aut omnino non fecit Testamentum, aut non jure fecit, aut, quod fecerat, ruptum, irritumque factum est, aut si ex eo nemo haeres existit. Sic Paulus habens bona temporalia non cogitat de condendo Testamento, et moritur, non facto, vel fecit testamentum sine debitis solemnitatibus juris, reticet posthumum, qui ei enascitur: vel demum haeres designatus, recusat haereditatem. In singulis hisce casibus Paulus dicitur mori intestatus.

2. Homini intestato succedere possunt. 1. Descendentes. 2. Ascendentes. 3. Collaterales. 4. Maritus, vel Uxor. 5. Fiscus. Descendentes sunt hi, qui a nobis ortum ducunt. Ascendentes vero hi, a quibus nos ortum ducimus. Collaterales hi sunt, qui sicut nos, ex eodem sanguine orti sunt. Uxor, et Maritus sunt hi, qui conjunguntur per Matrimonium: Fiscus est aut Respublica, aut Regnum, in quo Testator decedit.

3. De ordine successionis ab intestato. Si decedens intestatus relinquat solum liberos ex justis nuptiis procreatos, hi omnes, sive mares, sive faeminae, ex aequo succedunt, seu in singulos equaliter dividitur haereditas; liberi in capita; istorum filii in stirpes succedunt, *Novell.* 118, *c.* 1. Nisi aliter sit per leges posteriores dispositum.

4. Si qui decedit intestatus relinquat solum filios legitimos, sed diversimode legitimatos, sic procedendum erit. Filii legitimati per subsequens matrimonium, sive nati ex eadem, sive ex alia matre, una cum filiis naturalibus, et legitimis, aequaliter succedunt, et in Allodialibus, et in Feudalibus. Filii naturales legitimati per Rescriptum Principis, succedunt tantum Patri nullis extantibus liberis naturalibus, et legitimis simul, non tamen in Feudo, si non sit in Rescripto,

5. Decedens intestatus, et filios naturales, non legitimatos relinquens; haec servanda praxis. Filii incestuosi, idest

nati ex ea, cum qua iniri nequit matrimonium, non succedunt, nec ex jure civili alimenta debentur; Jure tamen Canonico, ab haereditate pelluntur, sed eis praestatur alimentum. Filii naturales tantum, non extantibus legitimis, vel legitima uxore, succedunt in duabus unciis, una cum matre dividendis. In reliquis partibus succedunt proxime cognati. Filii naturales tantum, extantibus legitimis, vel uxor legitima, non succedunt, alendi tamen sunt, boni viri arbitrio. Matri tamen, una cum filiis legitimis succedunt.

6. Decedens intestatus, nec relinquens descendentes, vel collaterales, idest, neque liberos, neque fratres, vel sorores, ascendentes proximiores succedunt per ordinem. Si non relinquat liberos, sed superstites ascendentes, ut Patrem, Matrem, etc., vel collaterales, ut fratres, sorores etc. Fratres, et sorores una cum proximioribus ascendentibus succedunt, nepotibus exclusis. Si non habeat legitimos parentes, sed solum naturales, non extantibus ei liberis, et collateralibus, eo modo succedunt ascendentes naturales, ut ipse succederet eis.

7. De collateralibus. Decedens intestatus nec relinquens ascendentes, vel descendentes, sed solum fratres, aut sorores naturales, vel legitimos, vel legitimatos, vel mortuorum fratrum, et sororum filios; et fratres, et sorores viventes, et demortuorum fratrum, et sororum filii, succedunt aequaliter, sed fratres, et sorores viventes succedunt in capita; filii vero demortuorum fratrum, et sororum in stirpes succedunt. Non relinquens neque ascendentes, neque descendentes, neque fratres, et sorores, neque fratrum, aut sororum liberos, Cognati ulterioris gradus, ex sola gradus praerogativa succedunt in capita.

8. Tandem Decedens intestatus, et non relinquens neque ascendentes, neque descendentes, neque collaterales usque ad decimum gradum, Marito succedit uxor et maritus uxori, et si qui decedit intestatus, et non relinquat nec vir uxorem, nec uxor maritum, succedit Fiscus. v. FISCUS.

INVENTARIUM Est libellus quidam, in quo omnia bona

haereditaria, quae apud aliquem inveniuntur, conscribuntur et hoc, ut sciatur, quantum eo tempore, vel die, quo scribebatur in bonis suis continebatur. Et tutum est haeredi id facere, quia tunc ultra vires haereditatis non potest onerari, secus autem si non fecerit.

INVENTIO non prohibita. v. MOD. AQUIR. DOMINIUM n. 10.

INVESTITURA, sive Installatio, nihil aliud est, *quam immissio in actualem possessionem* ejus, *de quo debet habere dominium*.

INVIDIA, inter septem vitia Capitalia habet locum, et *est tristitia de bono proximi, prout proprium aestimatur damnum, et diminutio proprii boni, seu propriae gloriae, et excellentiae*.

2. Ex genere suo est mortale peccatum charitati oppositum. Potest tamen fieri veniale, vel ob imperfectionem consensus, vel ob levitatem materiae. Filiae invidiae sunt quinque *Odium*: *Susurratio*; *Detractio*: *Exultatio in adversis Proximi*, *Afflictio in prosperis*.

3. Peccant ideo gravissime, qui dolent, dona Spiritus Sancti in aliis abundare, et hoc peccatum locum habet inter peccata contra Spiritum S. Tale fuit peccatum Cain. Sic gravissime peccant, qui dolent proximum bonis spiritualibus abundare, aut temporalia in aliis redundare etc.

4. Non peccant tamen, qui timent bonum alienum vel sibi, vel aliis nociturum: nec, qui tristantur de bono alterius, non quod alter habeat, sed quod sibi desit. Erit tamen peccatum, cum tristamur de bono alterius, quatenus ille, cui hoc bonum accidit, est eo indignus, gaudendum enim est bona spiritualia indiguis obvenire, cum peccator ad conversionem inducatur. Sic dicendum de bonis temporalibus ait *D. Thom. 2. 2. q. 36. a. 2. in corp.* Cum aliquis tristatur de bono alicujus, in quantum alter excedit in bonis, tunc proprie est invidia, quia dolet de bono proximi.

IRA unum ex Capitalibus peccatis. *Est inordinatus ap-*

petitus vindictae, non servans modum a ratione praescriptum. S: Thom. 2. 2. *q.* 158. *a.* 2.

2. Hujus filiae sunt; *Indignatio*, et est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet, se indigne ab alio tractari, et est communiter veniale peccatum, immo nullum ex justa causa, sed crescens usque ad odium deliberatum, mortalis culpa est. *Tumor mentis*, cum quis morose cogitat, diversas vindictae vias, iisque cogitationibus animum tumescit, quale sit peccatum, desumendum est ex qualitate vindictae, quae excogitatur. *Clamor*, cum iratus vocem extollit, multa inordinate, et confuse effutiens: veniale peccatum est, nisi aliud addatur, ut blasphemia, contumelia etc. v. *suis locis*. *Rixa* est verborum, et manum pugna. In aggressore est culpa gravis. Rixa escludit a Regno Dei v. VINDICTA.

IRREGULARITAS. *Est inhabilitas Jure Div. vel Ecclesiast. introducta, directe impediens Ordinis susceptionem, indirecte usum susceptorum*. Non est censura, quia non est poena medicinalis ad tempus imposita.

2. Irregularitas alia est *Juris Divini*, et est inhabilitas ordinatione Divina reddens personam incapacem Ordinis Ecclesiastici, ut sexus faemineus, defectus baptismi. Alia *Juris Ecclesiastici*, impediens directe susceptionem Tonsurae, et Ordinum, et indirecte usum susceptorum, ut, esse mutilatum, illegitimum etc.

3. Irregularitas ex Jure Ecclesiastico est duplex: alia *ex defectu*, alia *ex delicto*: Sicuti autem multae sunt irregularitates *ex defectu*, has brevi calamo expedio. Est irregularis ex defectu sanitatis in anima amens: phreneticus: epilepticus etc. hi non possunt ordinari, quia irregulares sunt Jure Ecclesiastico; sicut, et sunt illiterati recenter conversi, mutilati, manu carentes, pollice indice, oculo sinistro, gibbosi, pigmei, mostruosi etc. aetate debita carentes, illegitimi, milites, Judices, Apparitores, Carnifex, Laniones. Accusatores: etc. Bigami.

4. Irregularitatem ex delicto incurrunt reiterantes baptis-

mum; baptizati ab haereticis, baptizati in mortis articulo, publici poenitentes; illicite ordines recipientes, vel recipientes per saltum; publici infames, ut concubinarii publici adulteri, Incestuosi, Raptores; Perjurii in Judicio etc.

5. Irregularitates ex vitio, morbo etc., causa cessante cessant, et ipsae.

6. Irregularitates ex defectu Natalium, tolluntur per solemnem Professionem in Religione approbata, et per subsequens Matrimonium.

7. Summus Pontif. potest dispensare, in omnibus irregularitatibus. Episcopi in illis ex delicto occulto, voluntario, et exceptis aliis ad forum contentiosum deductis.

8. Irregulares, si laici sunt, in statu laicali debent permanere: si Clerici abstinere ab omni Ecclesiastico munere.

IRRELIGIOSITAS. *Est irreverentia commissa vel contra Deum, vel contra res sacras*. Prima est tentatio Dei; Perjurium, blasphemia, de quibus suis locis. Irreverentia contra res Sacras est Sacrilegium, et Simonia, et haec quoque suis locis.

IRRISIO v. DERISIO.

IRRITATIO LEGIS. Fit cum lex ab Inferiore Magistratu constituta Superioris auctoritate rescinditur, seu nulla declaratur. *Abrogatio* legis fit, quando lex totaliter cassatur, et tollitur. *Derogatio* vero fit, cum lex solum ex parte tollitur quatenus legislator unum, vel alterum legis articulum mutat, aut a generali constitutione certos specialiter casus excipit.

IRRITATIO voti. *Illa dicitur, qua illius solvitur vinculum*. Haec facultas apud illos est tantum, qui in voventes dominium habent. Hinc Superiores possunt vota irritare Subditorum, circa materiam sibi subjectam. In eorum enim voto dicit *S. Thom.*, intelligitur debita conditio, si suis Superioribus placuerit, vel non. Sic parentes possunt impuberum filiorum irritare vota. Sic Pater; et Tutor possunt vota rescindere filiorum, si voti materia ad domesticum regimen

spectet. Sic Maritus vota potest rescindere uxoris, si laedatur jus, quod habet in eam, si vota in damnum familiae cedant etc.

JUBILÆUS v. INDULGENTIA n. 16.

JUDEX. v. ACCUSATUS n. 2.

JUDICIUM DIFFAMANS. Diffamatio interior, qua proximum apud nos ipsos injuste diffamamus, est peccatum mortale, si plena interveniat deliberatio ex parte agentis, et gravitas ex parte rei, circa quam proximus apud nos infamatur, sed not.

2. Dubium est *haesitatio intellectus in neutram inclinans partem*. Ideo, qui sine fundamento dubitat de probitate proximi, etiam in materia gravi, peccat quidem, sed non mortaliter, quia dubium non importat plenum assensum, sed tamen peccat contra charitatem.

3. Suspicio, est inclinatio intellectus in unam partem potius, quam in aliam, etiam in materia gravi. peccat, sed non mortaliter, sed peccat contra charitatem. *D. Thom.* Sed judicium diffamans, ut dixi, est assensus firmus malum aliquod affigens proximo; ideo, qui male judicat de proximo, peccat mortaliter, si materia sit gravis, venialiter, si levis.

4. Judicium usurpatum diffamans proximum, illud est, quod fit ab illo, qui non habet auctoritatem.

5. Judicium temerarium diffamans proximum, est illud quod fit sine fundamento. Tale est illud, quo quis sine sufficienti fundamento, affingit proximo aliquem moralem defectum, et est culpa gravis, quia sine fundamento proximum suum despicit in corde suo: Sic graviter peccat putans aliquem peccatorem esse, quia a Deo punitur, ut Job, aut talem, qualem xhibent e falsi accusatores, ut Joseph, qui injuste fuit accusatus, et in carcerem detrusus etc.

6. Judicium malitiosum est illud, quod provenit ex pravo affectu, et est peccatum grave, aut mortaliter culpabile, juxta materiam, affectum, et malitiam. Tale est judicium

illius, qui alicui vitio deditus, idem vitium proximo affingit etc.

7. Dubium, suspicio, judicium, possunt esse sine peccato, si fiat non animo proximum infamandi, sed animo precavendi mala, quae nobis, vel aliis possent evenire. Haec assertio est vera in eo sensu, quo quilibet potest prudenter sibi, et rebus suis praecavere, praevidendo omnia, quae sibi nocere possunt, et non aequalem omnibus fiduciam adhibendo. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 60. *a.* 4.

JURAMENTUM. Defin. a *S. Thom. Invocatio Divini Nominis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam.*

2. Hoc quadruplex est. *Assertorium*, et est attestatio Divini Numinis, in se vel in Creatura relucentis, ad faciendam fidem circa rem, quae asseritur. *Promissorium* est attestatio Divini Numinis, in se vel in Creatura relucentis, ad firmandam rem, quae promittitur. *Exhortatorium*, quo, quis non solum invocat Deum in testimonium dicti, sed Judicem, et ultorem, si mentitur. *Comminatorium*, quo in testimonium vocatur Deus, damni alicujus inferendi etc.

3. Deliberate jurans sine animo jurandi, vere jurat in mea sententia, quia verborum significatio, et effectus non pendet ab hominis voluntate, ut cum quis deliberate Deum invocat, non potest jam quadam animi reluctatione efficere ut invocatio illa non sit juramentum. *S. Thom. ib.*

4. Usus juramenti est licitus, circumstantiis debitis vestitus, tum ex parte personae jurantis, tum ex parte rei, per quam juratur, tum ex parte rei, ob quam juratur. Viri enim adhibuerunt Sancti, ut ex Script. *Gen.* 14. 23. 1. *Reg.* 14. 22. *etc.*, erit vero illicitum juramentum absque necessitate.

5. Conditiones ad licite jurandum, tres in Script. enumerantur. - *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, et judicio, et justitia* -. Si ista desint, non Juramentum, sed Perjurium erit.

6. Per *veritatem*, intelligitur verum pro vero, falsum pro falso, dubium pro dubio. Per *Judicium*, ne temere, in-

considerate, sed consulto, et cogitato, juramentum adhibeatur. Ad *justitiam*, ne aliquid injustum, vel inhonestum juretur. Hinc restrictiones mentales, simulationes, aequivocationes, amphibologiae etc. damnatae sunt ab Innoc. XI.

7. Promissio cum Juramento, gravi metu expressa, est penitus adimplenda; si sine peccato servari potest; si non vergat in praejudicium tertii; si non sit in detrimentum salutis aeternae; si non sit contra publicam utilitatem: sunt tamen aliqui casus, in quibus juramentum promissorium non obligat, cum scilicet Juramentum est de re illicita, de re impossibili etc. v. METUS.

8. Sunt causae per quas juramentum cessat, et sunt *Remissio*, et *Condonatio*, *Irritatio* ab eo facta, qui jus habet in alterum; *Commutatio*, et *Dispensatio* etc. v. *suis locis*.

9. Not. Cum Scriptura dicit *Ego autem dico vobis*, non *jurare omnino* : *sit sermo vester: est est, non non*, tunc Script. non prohibet absolute juramentum, sed ideo dicitur *est est*, *non non*, ut duplicata affirmatio, significet, firmiter asserendum esse, quod verum est, negandum, quod falsum.

10. Laici jurant tactis Sacris Scripturis. c. 2. *Hortamur* c. *q*. 9. Clerici presertim Sacerdotes tacto pectore: Riccius resol. 234. Milites tacta Cruce. Hebraei tacto calamo. Cardinales tacta Purpura. Summus Pontifex cancellatis manibus supra pectus Quaer. An Princeps Laicus possit, ex se, vel per statutum, vel alias irritare Juramentum. Quidam negant, ut Diana 1. *Tract. resol.* 75. Quidam probabilius affirmant posse indirecte, supponendo, et praesumendo, aut metum, aut simulationem, aut dolum. Nic. l. 3. Civ. tit. 71. n. 16.

11. Jurantes, aut jurare facientes contra Ecclesiae libertatem, aut contra Decreta Conc. Trid. sunt ipso facto excommunicati, et absolutio est Papae reservata Greg. XIII. Const. 103.

JURAMENTUM CALUMNIAE. Quinque debet continere, quae habentur in quatuor versiculis posit. a *Gloss*. c. 1. *v. Calumniae juramentum de Jure Can*.

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur
Et si quaeritur, verum non inficietur
Nil promittetur, nec falsa probatio detur
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

2. Jurans de calumnia ante litem contestatem, non debet in expensis condemnari, licet deficiat in exceptione apposita: quia non est verosimile, aliquem esse suae salutis immemorem Cap. Sancimus penult. 1. *q.* 7.

3. Juramentum calumniae extenditur ad omnia, quae, incidunt, et emergunt post litem contestatem. *c. de Jur.* Cal.

4. Poena recusantis juramentum calumniae, cum praestandum fuerit; haec est, quod Actor ab instituta cadat actione, et Reus haberi debeat pro confesso *cap. ult. parag. fin. de Juram. Cal.*

JURISDICTIO. Generatim *est vis, et auctoritas jus dicendi*, et duplex est; Fori interni et externi. Jurisdictio Fori interni, est auctoritas, et vis jus dicendi in eo Tribunali, cujus solus Deus offensus, et homo offendens, et Sacerdos Judex conscii sunt, et talis jurisdictio exercetur in Tribunali Poenitentiae. Talis jurisdictio non exercetur, nisi ab eo, qui habet characterem Sacerdotalem.

Jurisdictio. Fori externi, alia est contentiosa, alia gratiosa, seu voluntarta. Contentiosa ea est, quae exigit processum forensem, et exercetur vel ex motu proprio Praelati, vel ad proeces suplicantis conceditur dispensatio in voto occulto, vel irregularitate occulta. *Sed hic*.

2. De sola Ecclesiastica Jurisdictione loquor, quae duplex est. *Ordinaria*, quae alicui competit ex proprio officio, seu munere, ut Parochus in sua Parochia, Episcopus in sua Dioecesi, in tota Ecclesia Pontifex. Alia delegata, quae habetur ex commissione habentis ordinariam. Hinc simplex Sacerdos non aprobatus, non potest, licite saltem, vel a solis venialibus, vel mortalibus jam remitsis, absolvere extra mortis periculum.

3. Qui ordinariam habet facultatem, potest, cui placet, delegare, praeter Parochos, qui non possunt approbare, quia non habent Tribunal approbationis.

4. Delegatus facultatem, quam habet, non potest in alium transmittere.

5. Loquendo de Parochis, absolvere possunt praeter suos subditos facultate ordinaria, etiam alios, ad se accedentes, idque ex tacito Episcoporum consensu.

Jurisdictio duplex est *Voluntaria*, quando fit aliquid absque necessitate, et disceptatione partium. *Contentiosa* illa est, quae redditur in invitum. *Oinot* de Libertin. Paragr. Servi *n.* 2. Prima potest exerceri ubique, non autem altera, regulariter loquendo. *Novit de Off. Legum Clem.* 1. *de Foro Comp. cum suis glossis*.

JUS CANONICUM. *Est illud, quod civium actiones ad finem aeternae beatitudinis dirigit*.

Jus Canon. constat. Divinae Legis praeceptis: Consuetudine: et Constitutionibus. v. *Canonist*.

JUS ELIGENDI PRAELATUM, hodie ad Canonicos spectat, et ad Collegium Ecclesiae viduatae. Sed et, si qui consuetudine vel praescriptione, pacto, vel Privilegio fuerint muniti, ab electione minime sunt excludendi.

JUS EVICTIONIS est illud, quod habet verus Dominus rei, ut rem suam ab alio venditam, auctoritate Judicis recuperet.

JUS GENTIUM *est ipsum Jus naturae gentium negotiis, et causis adplicatum*. Habet vim obligandi, ut Jus naturae apud omnes Nationes.

JUS MILITARE. Est inferendi belli solemnitas foederi faciendi nexus, signo dato, aggressio in hostes, et pugnae comissio. Item flagitii militantis disciplina, si locus deseratur. Item stipendiorum modus, praedae divisio, et pro personarum qualitatibus, et laboribus justa distributio, ac Principis portio. *Isidorus lib.* 6. *c.* 7.

JUS. Nomine Juris hic intelligitur legitima sive a lege concessa potestas de re tamquam sua statuendi per se

sufficiens, ut, nobis rationabiliter invitis, de eadem re nemo disponere possit.

2. Juris duplex est species. Aliud dicitur *Jus ad rem*, aliud *Jus in re*. Jus ad rem, est legitima potestas, quam habet aliquis, ut res fiat sua, illamque obtineat: tale est, jus illius, cui res vendita fuit. *Jus in re*, illud est, quod habet aliquis in rem suam. v. DOMINIUM.

JUS PATRONATUS. *Est jus nominandi, seu praesentandi Clericum idoneum ad vacans beneficium*. Tribus modis Jus Patronatus acquiritur. *Fundatione, aedificatione: Dotatione*. Jus Patronatus transit ad haeredes, Donatione, Successione: Permutatione: venditione. Jurispatronatus capaces sunt Clerici, Laici, Faeminae etc.

JUS RECTRACTUS. Est Jus, quod habet aliquis, ut praeferatur emptori, ratione consanguinitatis, quam habet cum Venditore. Hinc jure retractus, potest res vendita retrahi e manu emptoris, invito emptore, et venditore.

JUS ECCLESIASTICUM *est Potestas legitima gubernandi Subditos in spiritualibus, cultum Divinum, et animorum salutem spectantibus*.

JUS CIVILE. *Est potestas legitima gubernandi subditos in rebus temporalibus externam vivendi rationem, et publicam tranquiilitatem respicientibus*.

JUS PROPRIETATIS. *Est potestas legitima disponendi de re tamquam sua in usum quemcumque a lege non prohibitum*.

JUSTITIA, pro ut hic sumitur; *Est virtus inclinans voluntatem ad reddendum uniquique, quod suum est*.

2. Species Justitiae sunt. Justitia *Universalis et Legalis*, prior est virtus, qua membra Reipublicae comparantur ad Rempublicam, ejusque subiiciuntur legibus. Altera dicitur legalis, quia legem statuit singulis hominibus, eosque legibus subesse praecipit.

3. Justitia *particularis dtstributiva*, est virtus, qua Respublica, vel Princeps, comparatur ad membra Reipublicae et reddit unicuique, quod suum est. dicitur distri-

butiva, quia tota est in distribuendo, vel proemium, vel poenam.

4. Justitia *commutativa* est virtus, qua membra Reipublicae, ad invicem comparata, reddunt sibi quodlibet, quod suum est, et membrum unum non aufert ab alio, quod illi debetur. Dicitur Commutativa, quia maxime versatur in commutationibus, quae in Contractibus solent evenire.

EXPLICIT PARS PRIOR.

INDEX ALPHABETICUS

In quo habentur nomina earum rerum, de quibus in hoc opere tractatur.

A

B

D